

Goldsmith in London.

VETERVM ILLVSTRIVM

PHILOSOPHORVM POETARVM RHETORVM ET ORATORVM IMAGINES

Ex vetuſtis Nummis, Gemmis, Hermis, Marmoribus, alijſque Antiquis Monumentis deſumptæ.

A IO: PETRO BELLORIO.

CHRISTINAE REGINAE AVGVSTAE

Bibliothecario, & Antiquario Expoſitionibus Illuſtratæ.

ROMAE, Apud Io: Iacobum de Rubeis ad Templum S. Mariæ de Pace ſuis ſumptibus, & cura, cum Priuilegio Summi Pontificis.

M D C L X X X V.

Superiorum permiſſu.

Inquirant alij rerum cognoscere causas,
Quid Mare, quid Tellus, quid possint Aetheris ignes;
Ille tamen Sapiens est, qui sibi conscius unus
Se nôscit, dominusque sui nihil indiget extra.

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/veterumillustriu00bell

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI
HIERONYMO
CASANATE
S. R. E.
CARDINALI.

IMAGINES Illuſtrium Antiquorum, qui Philoſophia, Poëſi, atque Oratoria arte claruere, meis typis editurus in lucem, Tu mihi Auſpex occurris EMINENTISSIME PRINCEPS, cui proditurum Opus inſcribam. Is enim es, qui eximijs animi dotibus à Maioribus traditis, doctrina, ac magnarum rerum vſu adeò præcellis, vt perennem Sapientiæ famam Tibi comparaueris. Plurimis ſanè muneribus, & honoribus ſpectatus, inter Sacri Senatus maiora lumina, cunctos in Tui venerationem rapis; ſiquidem non ſatis laudis habes, litterarum ſtudia mente, animoque complecti,

plecti, ſed & hoſpitibus Muſis domicilium præſtas, ſelectis vndique optimis Codicibus, omniumque diſciplinarum monumentis, quæ Tuam Bibliothecam inſtruunt, Tuamque in ijs comparandis munificentiam teſtantur. Hæc profectò cum admodum digna ſint, dignior tamen es Tu, qui in Te vno cuncta colligis, & poſſides; Religione, Pietate, cæteriſque Virtutibus ad ſummam laudem præfulgentibus. Quamobrem Imagines ipſas, quæ ſapientiæ Tuæ ſimulacra ſunt, immortali Nomini Tuo ſacro, votaque obſequentiſſimi animi mei erga Te expleo, qui mihi Tuo Patrocinio ades, & faues. Interim Deum Optimum Maximum precor, vt diu Te Eccleſiæ, ac publico bono præſtet incolumem.

E. T.

Humillimus & Obſequentiſs. Seruus
Io: Iacobus de Rubeis

LECTORI

IO: PETRVS BELLORIVS.

POst diuturnam Barbarorum, ac Temporis sæuitiam, quæ ingenuæ artes, ac bona cuncta periere, cum tandem indulgentia Numinis, summorumque Virorum conatibus nouæ dies illuxit, ac litterarum studia, quasi ab Orco reuocata, rursus reuixere, omnis redijt Musarum Chorus, atque in sublimi vetus honos effulsit. Non enim tantùm collapsa Gymnasia, ac disiecta scientiarum domicilia iterum excitato fastigio, pristinam faciem resumpserunt, verùm etiam prisco disciplinarum cultu, ac ornamentis ad elegantiam restitutis, veteri peplo attrito, se noua clamyde Pallas induit, & accinxit. Quare in Scholis, Porticibus, & Bibliothecis viuunt hodie, & loquuntur illæ immortales animæ, quæ nos erudiunt, ac docent, nosque simul earum adspectu fruimur: imaginibus scilicet, ac signis ad viuum expressis, quæ studiosa iuuentus è ruinis, atque à vetustate vindicauit; quæque nostros oculos explent, animosque concitant ad virtutem. Idcircò contemplari licet hinc sapientiæ Magistros Platonem, & Aristotelem, inde Musarum Antistites Homerum, & Virgilium: & alia ex parte se palam exhibent eloquentiæ Principes Demosthenes, & Tullius, cæterique Parnassi incolæ, Phœbique sodales. Si huius tam præclari decoris auctores quæramus, Athenienses primi Mineruæ, scientiarum præsidi, & Mercurio eloquentiæ Deo iunctas simul statuas, quas Hermathenas vocant, erexere. Idem honos datus est postea sapientiæ cultoribus, qui sibi, & patriæ inclaruerunt; Hermas, & Imagines ex marmore, & ære, priuatim, & publice ponentes, vt quisquis glorioſos vultus inspiceret, admoneretur ad præclara facinora, ac illos præsentes, quos imitaretur, haberet. Romæ postea hoc fuit Asinij Pollionis inuentum, ornandi scilicet Bibliothecas doctorum Virorum signis, & imaginibus, quarum studio flagrasse etiam Pomponium Atticum, & Marcum Terrentium Varronem, auctor est Plinius. Origo nempè plena virtutis intueri multas post ætates, nobis obuias, præsentesque illorum facies, quorum ingenia in ijsdem locis excolimus, & admiramur. Hanc insignem laudem apud Nostros consecutus est Fuluius Vrsinus, recentis sæculi Varro, qui Illustrium Virorum Imagines ab æuo superstites, quotquot reperiri potuerunt, siue marmore sculptas, & ære ductas, siue gemmis, lapidibus, anulis, & sigillis cælatas, nummisque signatas in sua Bibliothecæ col-

collegit, ac protulit in lucem. Eaſdem poſtea Theodori Gallæi opera Romæ delincatas, atque Antuerpiæ ære inciſas ex eiuſdem Vrſini, & Gaſparis Scioppij notis Ioannes Faber Bambergenſis Medicinæ Doctor, & Profeſſor in Romana Accademia eruditiſſimo Commentario illuſtrauit. Quòd verò Fuluianæ Imagines permixtè Heroas, Reges, Duces, alioſque fortitudine, ac famæ præſtantes, ſimulque Philoſophos, ac litteris illuſtres viros complecteretur, ex multorum ſententia, ac voto placuit hos ab illis ſecernere. Quo conſilio habito, veterum Litteratorum hominum vultus, quos ſuos & Græcia, & Latium extollit, ſelegimus, plurimoſque inſuper alios addidimus, qui poſt Fuluianam collectionem prodiere. Cunctos verò in tres ſeries diuiſimus, Philoſophorum, Poëtarum, ac Rhetorum; eorumque ſingulis breues Expoſitiones, ſiue Elogia ſubiecimus, quæ ipſorum ingenia, & laudes, ceu vitæ breuiarium indicarent. In ijs autem exponendis ipſius Fabri veſtigia ſecuti ſumus, ab eius Commentarijs, cuncta, quæ adiumento forent ad explicationem, mutuati. Dum verò, Lector, hos immortales vultus intuendos tibi proponimus, enixè rogamus, vt noſtrum ſtudium, qualecumque ſit, hilari animo, parique voluntate accipias, qua inuicem auſpicamur, vt inclytæ Imagines, quarum frueris adſpectu, Tibi incitamento ſint ad virtutem ipſam, ac ſapientiam comparandam, Q. Maximi, ac Publij Scipionis exemplo, à quibus ſæpe ſe audijſſe Criſpus Salluſtius affirmat: cum ſuorum Imagines intuerentur, animum ſibi ad virtutem vehementer accendi, *quod eſt omnium noſtrarum virium, operumque in hac mortali vita bonum.*

IN-

INDEX ILLVSTRIVM

Qui in hoc opere continentur.

PHILOSOPHI.

ANtisthenes. pag. 1
Appollonius Tyaneus. 1
Apuleius. 2
Archytas. 2
Aristippus. 3
Aristomachus. 3
Aristoteles. 4
2 Aristoteles. 4
Alexander. 4
Carneades. 5
Cratippus. 5
Chrysippus. 6
Democritus. 6
Diogenes. 7
2 Diogenes. 7
Euclides. 8
Heraclitus. 8
2 Heraclitus. 9
Hippocrates. 9
Iuba Rex. 9
Iulianus Imp. 10
Mago & Dionysius. 11
Marcus Aurelius Imp. 11
Maximus. 12
Numa Pompilius. 12
Pittacus. 13
Plato. 13
2 Plato. 14
Posidonius. 14
Pythagoras, 14
Rusticus. 15
Seneca. 15
Solon. 16
Socrates. 17
2 Socrates. 17
Speusippus. 18
Thales. 18
Theophrastus. 18
Xenocrates. 19
Zaleucus, 19
Zeno. 20

POETE.

ALcæus. 1
Anacreon. 2
Aratus. 2
Aristophanes. 3
Callisthenses. 3
Eucharis. 3
Euripides. 4
2 Euripides. 4
Hesiodus. 5
2 Hesiodus. 5
Homerus. 5
2 Homerus. 6
Horatius. 8
Menander. 9
Moschion. 9
Ouidius. 10
Persius. 11
Pindarus. 11
2 Pindarus. 12
Posidippus. 12
Pytheus. 12
Sappho. 13
Sophocles. 13
Terentius. 14
Theocritus. 14
Virgilius. 14
2 Virgilius. 15
Tragœdus siue Comoedus. 15
Sileni, ac Dionysiacæ Personæ. *Tabula Vltima.*

RHETORES AC ORATORES.

AEschines. 1
Aristides. 1
Aspasia. 2
Cæsar. 3
Cato Maior. 4
2 Catonis Herma. 4
Cicero. 5
2 Cicero. 5

De-

Demosthenes.	6
Epaphroditus.	6
Herodotus.	7
Isocrates.	8
Leodamas.	8
Lysias.	9
Phocion.	9
Sallustius.	10
Sotericus Pædagogus.	11
Titus Liuius.	12
Thucydides.	12
Hermheracles. *Tabula Vltima.*	

Ex Auctario
Ad Illustrium Philosophorum Imagines.
MEDICI.

TABVLA I.	*TABVLA II.*
Chiron.	Galenus.
Machaon.	Crateuas.
Pamphilus.	Apollonius.
Xenocrates.	Andreas.
Niger.	Dioscorides.
Hraclides.	Nicander.
Mantias.	Rufus.

IVssu Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Apostolici Palatij, ego infrascriptus diligenter legi hoc opus inscriptum Veterum Illustrium Philosophorum, Poetarum, Rhetorum, &c. *cum autem nihil in eo viderim, quod aut Christianę Fidei, aut bonis moribus sit contrarium, dignum censeo, vt Rei litterariæ commodo, Typis committatur.*

Ego Fr. Iosephus Sabatini Bibl. Angelicæ Præfectus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesger.

Imprimatur.

Fr: Ioseph Clarionus Sac. Theol. Professor, ac Reuerendis. P. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sacri Apost. Pal. Magistri Socius Ord. Præd.

IMAGINES
VETERVM
ILLVSTRIVM PHILOSOPHORVM

PARS PRIMA

Romæ apud Io: Iacobum de Rubeis
Ad Templum S.^tæ Mariæ de Pace
cum priuilegio Sum̄i Pontificis
Anno MDCLXXXV



ANTISTHENES

Cynicæ Sectæ institutor

Apud Lælium Pasqualinum in gemma Amethysto



APOLLONIVS · TYANEVS

Pythagoricus ac Præstigiator

Ex Numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ *Augustæ*

2.



LVCIVS APVLEIVS

nobilis Platonicus

Ex Numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Aug.

3.

ARCHYTAS

Pythagoricus Mechanicis clarus

Ex Nummo æreo apud Fuluium Vrsinum



ARISTIPPVS

Socratis auditor Voluptatis assertor

Ex Cornola Apud Fulvium Vrsinum

5.

ARISTOMACHVS

Apum Speculator et amator

Apud Leonardum Augustinum in gemma Corniola

6.



ARISTOTELES

Peripateticorum Princeps

Ex Bibliotheca Fuluij Vrsini in marmore

7.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ
ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ
ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ
ΟΑΡΙΣΤΟΣ ΤΩΝ
ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ
ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ

DIIS·MANIBVS
TI·CLAVDII QVIR
ALEXANDRI
PHILOSOPHI·STOICI
BACCHYLVS ET
AMBROTVS·LIB·
PATRONO
BENEMERENTI
Apud Ful. Vrsinum

9.

CARNEADES CYRENÆVS

Nonaginta expletis annis, idem illi uiuendi, ac philosophandi finis fuit

Apud Cardinalem Farnesium in marmore



CRATIPPVS
Philosophus Mytilenæus
Ex schedis Fulvij Vrsini in marmore



CHRYSIPPVS

Stoicus Zenonis, et Cleantis in schola successor.

Apud Fuluium Vrsinum in Numismate æreo.

Io Iacobi de Rubeis Formis Romæ ad Temp. S.M. de Pace cũ Pr. S. Pont.



DEMOCRITVS

Hominum Derisor

In Gemma Onyce Apud Leonardum Augustinum

HIC ILLE EST DIOGENES CYNICVS

Ex Bibliotheca Fuluij Vrsini in marmore

Io. Iacobi de Rubeis Formis Romæ ad Temp. S.M. de Pace cũ Pr. S. Pont.



DIOGENES IN DOLIO DISSERENS

Hic magno Alexandro maior sibi imperans in dolio cuncta diues et felix possidebat
Ille cupiditatibus seruiens unius orbis terrarum imperio pauper mærebat



EVCLIDES

Philosophus Socraticus

Ex Numismate æreo in Thesauro Christinæ Reginæ Aug. 16.



HERACLITVS
Omnia ex semet ipso didicit
Apud Magnum Etruriæ Ducem in marmore

17.

HERACLITVS

Res humanas plorans

Apud Leonardum Augustinum in gemma Onyce



HIPPOCRATES

Medicorum Princeps

Apud Fuluium Vrsinum in numismate

IVBA. IVNIOR

Mauritaniæ Rex Philosophia memorabilior quàm regno

Ex Nummo argenteo in Thesauro Christinæ Reginæ *Aug.*

20.

IVLIANVS · IMPERATOR

Ob impietatem ex sapiente insipiens

Ex numismate Argenteo Barbarinæ Bibliothecæ



MAGO ET DIONYSIVS

Vticenses

Apud Fuluium Vrsinum in gemma

IMPERATOR MARCVS AVRELIVS

Vel philosophari Reges uel regnare Philosophos oportere suo exemplo confirmauit

in Hortis Burghesijs

23.

Thiboust Sculp.

MAXIMVS
Philosophus Romanus
Ex schedis Fuluij Vrsini in marmore

NVMA POMPILIVS

Numa Pompilius Vrbem Romam à Romulo ui. et armis conditam, legibus, ac pietate muniuit

In numismate argenteo ex thesauro Christinæ Reginæ Aug.



PITTACVS

Vnus ex septem Græciæ sapientibus

Ex Numismate æreo apud Fuluium Vrsinum



PLATO

Hic solus in Philosophia diuini nomen meruit

Apud Fuluium Vrsinum ex marmore

PLATO
Apud Fuluium Vrsinum in gemma



MARMOREVS PLATONIS HERMA TRVNCATO CAPITE
In Fuluij Vrsini Bibliotheca

28.

POSIDONIVS

Stoicus Rhodi Ciceronis Præceptor

Apud Cardinalem Farnesium in marmore

29.



PYTHAGORAS

Philosophiam primus hoc est sapientiæ studiosam appellauit

Ex nummo æreo in Thesauro Christinæ Reginæ, Aug.

30.

L · IVNIVS RVSTICVS ·

Philosophus Stoicus Marci Aurelij Imperatoris Præceptor

Ex Fulvij Vrsini Bibliotheca

LVCIVS ANNÆVS SENECA

Stoicus quo Præceptore Nero felici quinquennio Imperium rexit

Apud Exc.mum D. Gasparum de Haro et Guisman Catholicæ Maiestatis apud Innocentium XI Orat.rem

nunc Neapolitani Regni Proregis

32.



SOLON

Ex septem Sapientibus Græciæ

Apud Fulvium Vrsinum in gemma



SOCRATES

Ex Pythiæ oraculo unus uere sapiens

Socratis Hermæ ex Fuluy Vrsini Bibliotheca

SOCRATES

In tabella marmorea Apud Fuluium Vrsinum

Io. Iacobi de Rubeis Formis Romæ ad Temp. S. M. de Pace cũ Pr. S. Pont.



SPEVSIPPVS
Platonis in Academia ſucceſſor
Ex ſchedis Fulvij Vrſini in marmore

THALES

Septem sapientum primus collaudatus

Apud Achillem Maffeum



THEOPHRASTVS.

Peripateticus ob Atticæ eloquentiæ suauitatē diuinus nuncupatus

In Aedibus Marchionis Fabritij de Maximis in marmore



XENOCRATES
Continentiæ, ac Philosophicæ frugalitatis famà nobilis
In Aedibus Marchionis Fabritij de Maximis in marmore

ZALEVCVS

Locrensis legislator

Apud Fulvium Vrsinum in Nomismate argenteo



ZENO
Stoicæ sectæ Auctor
Apud Fuluium Vrsinum

IN
IMAGINES
VETERVM
ILLVSTRIVM PHILOSOPHORVM
EXPOSITIONES.

ANTISTHENES.

ANTISTHENES Athenienſis Cynicæ Sectæ primus inſtitutor in Gymnaſio Κυνοσάργῃ *Cynoſargi* differens, Cynicus, atque Κύων, ideſt Canis fuit appellatus. Cum Socratem audiuiſſet, ad ſuos diſcipulos conuerſus, Abite, inquit, magiſtrum quærite, ego iam reperi; ſtatimque venditis quæ habebat, ac publicè diſtributis, nihil ſibi præter palliolum reſeruauit. Aſſerebat porrò, ſapientem ſibi ipſi ſufficere, ipſiuſque eſſe quæ aliorum ſunt omnia. Primus ex Philoſophis barbam promiſſiſſe traditur, eraſam verò in hac imagine conſpicimus, quod, vt Ioannes Faber aduertit, ſculpta ſit priuſquam alere cepiſſet. Macilens præterea, atque extenuatus apparet, quod Phthiſi laboraret. Imago ipſa deſumpta eſt ex antiquâ anulari gemma Amethyſto, olim apud Lælium Paſqualinum Nobilem Antiquarium Romanum, cui ſimilem aliam Fuluius Vrſinus adſeruabat in ſua Dactiliotheca.

APOLLONIVS TYANEVS.

APOLLONIVS TYANEVS Pythagoricæ diſciplinæ ſectator, inter celebres Philoſophos memoratur, ſed miracula, ac diuinitatem ementitus venefici potius, ac Præſtigiatoris, quàm veri Philoſophi nomen meruit. Vitam, ac præſtigia octo libris Philoſtratus elegantiſſimè complexus eſt; eius verò ſectatores inſanientes ipſum Chriſto Ieſu comparare auſi ſunt, ſed adeò falſi mendacij auctorem Hieroclem refellit Euſebius libro ad hoc ſcripto. Imago deſumpta eſt ex æreo nummo maximo, vt dicitur *Contornato*, Fuluij Vrſini, cui ſimilis extat in theſauro Chriſtinæ Reginæ. Apollonij ſimulacrum pectore tenus, ex marmore, manum è pallio exerentis ex Muſeo

Leonardi Augustini Româ Neapolim translatum est ad exornandam instructissimam Bibliothecam Clarissimi, ac Doctissimi Viri Iosephi Valletta. Tanta verò fuerunt hominum studia erga Apollonium diuinarum rerum arcanam quandam sapientiam simulantis, vt eius imagines, & statuas tanquam salutaris numinis colerent, vt de Alexandro Seuero, & Aureliano, alijsque memoriæ proditum est.

LVCIVS APVLEIVS.

LVCIVS APVLEIVS insignis Platonicus patriâ fuit Madaurâ, nobili Romanorum Coloniâ inter Numidiam, & Getuliam. Carthagine prius, mox Athenis Philosophiâ, disciplinisque optimis imbutus, Romæ tandem eloquentia, ac omnigena eruditione sub Traiano, seu Hadriano claruit. Inter eius præcipua opera quatuor extant Floridorum libri, ac Metamorphoseων Asini Aurei, Lucium Patarensem, ac Lucianum Samosatensem imitatus stylo amæno, ac florum varietate eleganti; quamuis aliquibus barbariem sapere aliquando videatur. Magiæ nomine accusatus aduersus calumniantes eloquentissimè disseruit, seque defendit. Succulentâ fuit proceritate, capillo promisso, ac speciosus formâ, vt in Apologia de se ipso, & qualis in hac imagine apparet. Desumpta est ex æreo numismate maximo *Contornato*, Fuluij Vrsini, cui similis alius in thesauro Christinæ Reginæ adseruatur. Extat etiam Apulcij marmoreus Herma capite diademato, qui ex Bibliotheca Camilli Maximi Cardinalis cum alijs Illustrium Philosophorum Hermis, simulacris, atque eruditis marmoribus accessit ditissimæ, ac omni antiquo, recentique nitore fulgenti supellectili Excellentissimi Domini Gasparis de Haro, & Gusman Catholicæ Maiestatis apud Innocentium XI. Oratoris, nunc Neapolitani Regni Proregis, cuius studium, ac munificentiam in cunctas bonas artes, atque humanitatem insignem mirata est Roma, miratur Neapolis, dum tranquilla iustitia, ac pietate publicæ felicitati præest: quare omnium vno ore, atque amore celebratur.

ARCHYTAS.

ARCHYTAS TARENTINVS Pythagoræ discipulus Geometriâ, Astrologiâ, atque Mechanicis artibus inclaruit: tum etiam apud suos ciues domi forisque, publicis belliciſque rebus administrandis tantam laudem sibi comparauit, vt exercitus Imperator factus, nunquam victus cuaserit. Inter eius mecha-

mechanica Columba lignea memoratur, quæ aurâ ſpiritus incluſa, præpetibus pennis cęlum contendere auderet. Naufragio perijt, ipſumque extinctum inducit Horatius in præclara illâ Odâ, in qua omnibus moriendum eſſe proponit. Nummus, ex quo hæc imago Archytæ deprompta eſt, cuſus fuit à ſuis Tarentinis Magnæ Græciæ ad recordationem perennem adeò celebris Philoſophi, vt conſtat ex epigraphe TAPAC adiecto piſce, Tarenti timæ Vrbis inſigni. Nomen verò ipſius Philoſophi legitur in notâ ad collum inciſa, quæ litteras quatuor comprehendit ARKI Architas.

ARISTIPPVS.

ARISTIPPVS genere Cyrenaicus Socratis. fuit auditor, ſed cum eſſet voluptatis aſſertor, ità libenter præſentibus fruebatur, vt de abſentibus non laboraret, affirmans cuncta animantia ipſam voluptatem appetere, atque à doloribus abhorrere. Horatius ſe ipſum, illoſque incuſans, qui palam virtutem profitentur, clam verò otium, ac voluptatem ſectantur, hæc habet.

Nunc agilis fio, & merſor ciuilibus vndis,
Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles.
Nunc in Ariſtippi facilis præcepta relabor.

Diuitum, ac præcipuè Dionyſij aulam frequentabat; quare à Diogene Regius Canis eſt appellatus. Delicatus præterea, & comptus incedebat, eique vni, ac ſoli tantum ex Philoſophis omnibus chlamydem conuenire aſſerebat Plato. Talem ſanè chlamydatum, pexis barbæ, & comæ cincinnis, aulicis delicijs, & cultu nitentem ipſum repræſentat hæc imago, quæ corniolæ inciſa, olim in Fuluij Vrſini Dactyliotheca viſebatur.

ARISTOMACHVS.

ARISTOMACHVS Solenſis. Hunc Philoſophum duo de ſexaginta annos in cognoſcenda Apum natura impendiſſe auctor eſt Plinius ſcribens: *Nè quis miretur amore earum captos Ariſtomachum Solenſem duo de ſexaginta annis nihil aliud egiſſe; Philiſcum verò Thaſium Apes colentem Aegrium cognominatum, qui ambo ſcripſere de his.* Ariſtomachus alueario aſſidens ad inſtar contemplantis depictus eſt in noſtra imagine ex antiqua Corniola gemma, olim apud Leonardum Auguſtinum.

ARISTOTELES.

ARISTOTELES Nicomachi Stagirites, Peripateticorum Princeps, Philoſophorum ſummus, Platoni Magiſtro aut æqualis, aut maior, auditorem ſuum Alexandrum Regem Maximum fecit. Diſciplinas optimas, Dialecticam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam, Rhetoricam, Poëticam ſic auxit, vt condidiſſe videatur, & abſoluiſſe. Benè, an malè de poſteris meritum dicamus? quibus diſcendi laborem, imminuit, & gloriam; cum nihil propemodum ſcire homines poſſint, quod non docuerit Ariſtoteles. Hanc ipſius palliatam imaginem effoſam fuiſſe in radicibus Montis Quirinalis memorat Faber, ex quo ſuſpicatur, an hæc illa ipſa ſit, quam Titus Pomponius Atticus domi ſuæ in Quirinali habuit; de qua ſic in Epiſtola ad ipſum Cicero: *Malo ſedere in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis*. Sculpta eſt opere anaglyptico, in rotunda marmorea tabula, adſcripto baſi nomine: ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ. Naſum penè aquilinum, barbamque eraſam habet, cuius tonſuram inter ipſum Ariſtotelem, & Platonem diſſidij cauſam fuiſſe ſcribit Aelianus: *Contra Platonis morem crinem abradebat*. Nam Plato, vt videbimus, comam, & barbam alere conſueuerat, vt etiam ſcribit Laërtius in eius vita.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ. Altera hæc Ariſtotelis imago perantiqua minimè eſt, ſed inſigni mendacio ab aliquo huius, vel ſuperioris æui Sycophanta ex ingenio efficta. Barbam, capilloſque promiſſos habet, quos totondiſſe Ariſtotelem diximus in antecedenti, ac dignoſcitur in alijs eiuſdem imaginibus.

In hac tabula bini extant eiuſdem Ariſtotelis Hermæ truncato capite: alter nomen præfert, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ *Ariſtoteles Nicomachi Stagirites*: alter elogium, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ Ο ΑΡΙΣΤΟΣ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ *Ariſtoteles Stagirites Philoſophorum Præſtantiſſimus*.

CLAVDIVS ALEXANDER.

DE Tiberio Claudio Alexandro apud Scriptores nulla mentio extat. Ex eius monumento, quod proferimus, ſatis conſtat fuiſſe Philoſophum Stoicum patriâ Romanum ex Tribu Quirina. Capitolinus in vita Marci Antonini Claudium quendam Maximum Philoſophum Stoicum nominat, ipſius.

ipſius. Marci Imperatoris præceptorem, ſed ille Maximi, hic Alexandri cognomen habuit. Marmoreus Sarcophagus, in quo cineres Claudij Alexandri collecti erant, varijs emblematibus, & ſigillis concinnè elaboratus, extabat in Fuluij Vrſini Bibliotheca.

CARNEADES.

CARNEADES Philocomi filius Cyrenęus cum Clitomacho, atq; Aeſchine florentem Academiam tenuit: homo omnium exuberanti doctrina, & incredibili varietate copioſiſſimus laudatur à Cicerone in Dial. 1. de Oratore. Romam cum Diogene Stoico, & Critolao Peripatetico, Athenienſium Legatus profectus, admirabili vi dicendi, ac ſapientia iuuentutem Romanam ad Philoſophiæ, atque eloquentiæ ſtudia allexit, Catone Cenſorio increpante, ne Romani Martiali pollentes indole, Græcis artibus frangerentur. De huius Philoſophi imagine idem Cicero l. 5. de finibus: *Etſi multa in omni parte Athenarum ſunt in ipſis locis indicia ſummorum virorum, tamen illa ego moueor exedra: modo enim fuit Carneades, quem videre videor; eſt enim nota imago, à ſedeque ipſa tanta ingenij magnitudine orbata deſiderari illam vocem puto.* Hæc, quam exhibemus, Carneadis imago marmorea cum aliis Illuſtrium apud Card. Alexandrum Farneſium, in Farneſianis ædibus adhuc exiſtens plenum annis ipſum Philoſophum refert, de quo ſic Valerius Maximus: *Carneades laborioſus ac diuturnus ſapientiæ miles, ſiquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi ac philoſophandi finis fuit.* Imago ipſa in pallio nomen inſcriptum habet ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ. In Herma verò ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ ΦΙΛΟΚΩΜΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟΣ.

CRATIPPVS.

CRATIPPVS Philoſophus Mytillenæus Ciceronis, Marci Tullii filii Athenis Præceptor fuit in Philoſophia; de quo ſic ipſe Cicero filius ad Tironem ſcribit, amantiſſimum Præceptorem commendans: *Cratippo me, ſcito, non vt diſcipulum, ſed vt filium eſſe coniunctiſſimum; nam cum & audio illum libenter, tum etiam eius propriam ſuauitatem vehementer amplector.* Hunc Philoſophum cum Pompeio à Pharſalica clade fugiente, Mytilenis de Prouidentia diſſeruiſſe ſcribit Plutarchus. Eius Herma auulſo capite, quadratis litteris nomen tantùm retinet ſcriptum ΚΡΑΤΙΠΠΟΣ ΑΣΚΙΩΝΔΟΥ ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΟΣ.

CHRYSIPPVS.

CHRYSIPPVS Solenſis Zenoni, & Cleanti in Stoicæ Philoſophiæ ſchola ſucceſſit. De ipſo, deque Philemone, ac Arato, qui Solis, ſiue Pompeiopoli floruere, Strabo: *Protulit hæc Vrbs præclaros viros Chryſippum Soticum Philoſophum, cuius pater Tarſo inde commigrauerat, tum Philemonem Comicum Poetam, & Aratum, qui verſibus, quæ in Cœlo viſuntur, deſcripſit.* Hæc imago Chryſippi ex nummo æreo, olim apud Fuluium, expreſſa eſt, cuius pars altera caput Arati exhibet. Ipſam Ioannes Faber Philemoni poetæ nouæ Comediæ tribuit; ſed ratio maior, & dignitas probat Chryſippum eximium Philoſophum, ab eodem Geographo in enumeratione Illuſtrium, primò laudatum, atque à Solenſibus, ſiue Pompeiopolitis in ſuis nummis tanqnam maius patriæ ornamentum, poſteritati traditum. In qua ſententia auctoritatem ſequimur Cl. V. Ezechielis Spanhemij *De Præſtantia Numiſm.* ipſamque probare videtur Pallium Philoſophicum, ex quo Chryſippus manum exerit, cætera obuolutus, vultu, ac geſtu ad inſtar meditantis. Philemonem verò Syracuſis, non Solis, natum ſcribit Suidas, atque Herma indicat ab eodem Fabro relatus, cum inſcriptione ΦΙΛΗΜΩΝ ΔΑΜΟΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ. Philemon Damonis Syracuſius.

DEMOCRITVS.

RErum omnium principium Atomos eſſe innumeras aſſerebat Democritus; idemque res humanas deridens, omnes fortunæ caſus, & mutationes Mortalium cachinnis excipiebat. Quare iocoſo epigrammate ſic ad eius imaginem ludere licet:

Stultitiam humanæ rides Democrite vitæ,
Et curas hominum riſibus aſſiduis.
At riſus moderare tuos, & ſiſte parumper,
Innumeras donec dinumeres atomos.

Democritum & Heraclitum, alterum ridentem, alterum plorantem res humanas inducit Lucianus in Dialogo, cui titulus eſt: *Vitarum actio.* Hanc verò Democriti imaginem ex gemma Onyce, ſiue *Cameo* Leonardi Auguſtini deſumptam exibemus.

DIOGENES.

HIC ille Diogenes Synopeus est, qui in paupertate diues, solisque animi bonis contentus, Alexandrum Terrarum Orbis victorem vicit, cum ei, *nec dare quidquam posset, nec eripere*. Seneca Ep. l. 1. Quoniam verò palliolo, seu duplici pallio caput obuolutum est, ex eo Faber Diogenem agnoscit, ac si de ipso loqui videatur Horatius lib. 5. Epist.

Contra quem duplici panno patientia velat.

A pallij ipsius duplicatione idem Diogenes Διπλοείματος hoc est *Pallio duplici* tectus nominatur à vetere poeta. Quamuis autem Laërtius in eius vita ex quorundam sententia, hunc Philosophum duplicato pallio primum vsum fuisse scribat, Antisthenem tamen Cynicæ sectæ principem ex Diocle, huius moris auctorem facit. Hìc minime prætereundum est quod de pallij duplicatione scribit Octauius Ferrarius l. 2. de Re Vestiaria, qui ità duplicare pallium Cynicos intelligit, vt nudi agentes dextrum cum humero brachium exererent, totamq; pallij partem dexteram in sinistrum brachium inijcerent, atque ita totum corpus inuoluerent, & constringerent. *Sic verò pallium duplicabant, nam cum nudi essent, tunicæ vice se pallio inuoluebant, brachiumque exerebant, in eoque humi cubabant.* Caput Diogenis cum marmoreo herma adseruabatur apud Fuluium Vrsinum.

DIOGENES.

EN tibi Diogenes iterùm sui Orbis Dominus, in rotundo dolio, tanquam in schola Cynicus cum Cynico differens, inanesque curas, & vitia hominum arguens. Vterque barba prolixa, & sine tunica, rudi pallio, seu tribonio amictus, cætera nudus; quo habitu Cynici vtebantur. Hi tantùm è reliquis Philosophis se pallio inuoluebant, vt nuditatem operirent; Vnde Iuuenalis.

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit.
A Cynicis tunica distantia.

Sic Cynici ob tolerantiam solo pallio, reliqua nudi, quasi Deorum habitu à cæteris semoti, hominum vanitatem, & diuitias exprobabant.

EVCLIDES.

EVCLIDES Megarenſis Philoſophus Sócraticus. De ipſo Strabo Megarenſium Vrbem deſcribens: *Habuit aliquando etiam Scholam Philoſophorum, qui Megarici dicebantur, Succeſſores Euclidis patria Megarenſis.* Ab eo, teſte etiam Laërtio, Megarici denominati ſunt, qui poſtea Ἐριστικοὶ, poſtemò Dialectici. Idcircò & Timon illum mordebat, quòd Megarenſibus contentionis rabiem inuexerit.

Euclidis imago capite palliolato à Megarenſibus ad perenne ſtudium adeò illuſtris ac benemerentis ciuis in æreo nummo expreſſa eſt, cum Epigraphe ΜΕΓΑΡΕΩΝ *Megarenſium*. Euclidis verò nomen in ipſo nummo ſignatum non eſt, vt alij nummi Illuſtrium aliquando etiam aliorum nomina ſilent, vt de Arato, & Cratippo ſupra vidimus. Nummus ipſe in poſtica figuram gradientem refert cum litteris vetuſtate exeſis. Adſeruabatur olim in pręclaro Franciſci Angeloni Muſęo, inde tranſijt ad Pinacothecam Camilli Maximi Cardinalis, ex qua cum reliquis ſelectioribus nummis tandem Chriſtinæ Reginæ Theſauro acceſſit.

HERACLITVS.

ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ ΒΛΥΣΩΝΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ Heraclitus Blyſonis filius Epheſius librum ſcripſit de Rerum Natura, aſſerens ex igne conſtare omnia, & in ignem reſolui. Quem librum nè ab ineruditis legeretur, ac vulgo contemptui foret, per ænigmata obſcurum reddidit, ac in templo Epheſiæ Dianæ poſuit, vnde Crates quidam amouit, atque in Græciam aſportauit. Tantam inde Heraclitus gratiam promeruit, vt ſectatores habuerit, qui Heraclitij appellarentur. Claruit circa LXIX. Olympiadem, eiuſque imago ex marmoreo herma apud Magnum Etruriæ Ducem, deſumpta fuit, cui ſimilis in anulari gemma Iaſpide apud Fuluium Vrſinum viſebatur.

HERACLITVS.

SE ſe offert iterum Heraclitus lugens, obuerſis in terram oculis, baculoque innixus. Hic porrò omnes res humanas calamitoſas, & deflendas exiſtimabat, omniaque ſurſum, ac deorſum ferri per vices, mutarique fortunæ ludibrio. Sic in plorantem, ac nimio luctu nunquam à lachrymis temperantem, epigrammate luſimus, quod omnia ex ignis principio conſtare, in eumque reſolui affirmaret.

Quid miſeram fletu comitaris Heraclite vitam?
Fletibus aſſiduis parcere diſce tuis;
Nè lachrymis ignes extinguas, ſemina rerum,
Et ſine principio cuncta repente cadant.

HIPPOCRATES.

VT Homerum Chij, Pythagoram Samij, Architam Tarentini, Aratum, & Chryſippum Solenſes, Archimedem Syracuſani, Euclidem Megarenſes, aliæque Vrbes ſuos ciues doctrina nobiles, in nummis, tanquam in publicis monumentis poſuere: ſic pariter Coi Medicorum Principis Hippocratis imaginem ære publico ſignato expreſſerunt, adſcripto nomine ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ quam hìc ad ſimilitudinem damus. In poſtica æris ſeu nummi parte Aeſculapij Sanitatis Præſidis baculus ſerpente obuolutus inſculptus eſt, quem Deum Coi tutelarem venerabantur. Narrat Strabo in ſuburbio Vrbis Coæ fuiſſe Aeſculapij, ac Veneris Anadyomenis ædes, atque Hippocratem maximè è dedicatis curationibus ibi exercuiſſe ea, quæ ad victus rationem ſpectant. Hic nummus olim apud Fuluium Vrſinum viſebatur cum inciſa Corniola ipſius Hippocratis imaginem palliatam referente, vt Faber notat.

IVBA REX.

IVBA iunior Mauritaniæ Rex, cum Iuba patre aduersùs Cæſarem bellum gerente, puer adhuc in Aphricano triumpho Romam ductus fuit. Felix ſanè, vt inquit Plutarchus, eius captiuitas; nam ex Barbaro ac Numida inter Græcorum ſcriptorum doctiſſimos habitus fuit. Philoſophia, ac ſtudiorum claritate me-

te memorabilior etiam, quàm regno celebratur à Plinio. Libros ſuos ad Caium Cæſarem Auguſti filium ſcripſit; atque ob ſtudium eius, & amicitiam in Romanos, à Cæſare Auguſto ad paternum regnum fuit reſtitutus, auctuſque amplius vtraque Mauritania, multiſque Aphricæ partibus, vt ex eodem Plinio atque Strabone. Eius facies cum regio diademate eraſa ad morem Romanum eſt in paruo, ac peruetuſto argenteo nummo Latinis litteris inſcripto IVBA REX. In eius aduerſo latere Ara quædam inſculpta cernitur, cui Cocodrilus, ſiue anguis, aut non diſſimile animal ſuperimpoſitum eſt. Hinc inde arbuſcula duo viſuntur cum pomis, fortè malis Punicis, ac notis X.T. VII. Nummus ipſe à nobis Camillo Maximi Cardinali dono datus, nunc in Theſauro Chriſtinæ Reginæ adſeruatur.

FL. CLAVDIVS IVLIANVS IMP.

FELIX ſanè Iulianus, niſi Chriſtiana pietate deſerta, à vera, ac ſincera Religione aberraſſet, atque inani ſuperſtitione falſum cultum Idolis exhibuiſſet. Iulianus porrò Conſtantij Conſtantini Maximi fratris filius Conſtantinopoli Flauia Auguſta ex ſtirpe prognatus, ſingulari ingenio præditus, in ſtudijs ætatem agens, ſummus in Philoſopia, ſummus in eloquentia enituit, vt eius monumenta teſtantur. Nec ei mores defuere, moderatio, & frugalitas Philoſopho digna; quin etiam bellica fortitudine præcellens inter ſummos Imperatores lauream, & palmam promeruit, vt res indicant ab ipſo in Gallia, & Germania aduerſus Barbaros geſtæ; Marcum Aurelium Antoninum Philoſophum, eundemque bellatorem ſtrenuum cultu, diſciplinaque in omni vita imitatus. Sed hæc bona cuncta, has cunctas laudes vna impietatis labes confecit, atque deleuit; nam iuuenis adhuc à Libanio Rhetore, atque à Maximo Philoſopho Præceptoribus, Ethnicæ ſuperſtitioni addictis, à veritatis ſacrario abductus in errorum barathrum decidit, mortemque oppetijt, documento alijs: Nullam eſſe ſapientiam abſque vera pietate. Eius præcipuè opera extant: Orationes, Cæſares, ſeu Cæſarum Cenſura, Miſopogon in Antiochenſes; quæ cuncta Philoſophiæ, ac Græcæ eloquentiæ luminibus perfulgent. Eius facies ex argenteo nummo deſumpta, militari, atque Imperatorio cultu renidet. Bellator ſtrenuus mundi globum ſtante Victoria, altera manu tenet, Imperij inſigne, rebus tùm in Gallia, & Germania, tùm contra Perſas feliciter geſtis; altera verò Clypeum cum Lupa, & pueris lactentibus, Conſtantinopolis nouæ Romæ inſigne cum veteri Vrbe commune. In medio thorace Sol radiata facie appictus eſt, cuius apprimè Iulianus, vt ipſemet

in

in Oratione *in Regem Solem*, teſtatur, ſe aſſectatorem, & ſamulum profitebatur. Barbam alebat Iulianus promiſſam, vt in hac imagine apparet, præter morem aliorum ætatis ſuæ Imperatorum, Philoſophos imitatus. Ipſam tamen hircinam agnoſcimus, qualem irridebant Antiochenſes, vt ipſe in ſuo Miſopogono deſcribit, ironicè ſe vituperans, cùm ſe ab ipſis irriſum conqueratur: *Et primum à vultu ordiar: Huic enim, cum, vt arbitror, natura non multum pulchritudinis, ac venuſtatis dediſſet, ipſe moroſitate quadam, & acerbitate animi longam iſtam barbam addidi, quaſi pœnas ab illo exigens, nulla quidem alia de cauſa, niſi quod natura elegantior non fuiſſet. Ideò diſcurrentes in ea Pediculos profero, tanquam feras aliquas in ſylua.*

MAGO ET DIONYSIVS.

IMAGINES, quas vnà ſimul expreſſas exhibemus, Magoni Carthaginenſi, ac Dionyſio Vticenſi Philoſophis adſcribit Faber; quod ambæ eodem philoſophico habitu palliatæ, atque Aphricano cultui ſimiles conſpiciantur. Cur verò vnâ poſitæ ſint, cauſam reddit, quòd Dionyſius Vticenſis, Magonis de Agricultura libros in Græcum ſermonem tranſtulerit, quemadmodum apud Varronem, Columellam, & Plinium multis locis legitur, Gemma, ex qua vtraque imago deſumpta eſt, *Praſma* Italis nuncupatur, forma ouali, & anulari maior, ad eorum memoriam, affabrè inciſa, atque ex Fuluij Vrſini Dactyliotheca deprompta.

MARCVS AVRELIVS IMPERATOR.

MARCVS AVRELIVS clarior ne Philoſophia, an Imperio fuerit, non facilè dixeris. Idem ſanè Philoſophus Summus, ac Summus Imperator; adeò vt Romana Reſpublica bonum illud alternum à Platone propoſitum ad beate viuendum in ciuitate experta ſit: aut Philoſophos regnare, aut Reges philoſophari oportere. Hic, vt inquit Capitolinus, *In omni vita philoſophans, ſanctitate omnibus Principibus antecelluit.* Puer adhuc duodecimum annum ingreſſus habitum Philoſophi ſumpſit, ac Stoicam diſciplinam profeſſus, tolerantiam cùm ſtuderet, in pallio, & humi cubabat. Quin & in grauioribus Imperij curis, inque ipſo belli diſcrimine, ad Philoſophiæ ſtudia animum conuertere non deſtitit. Nam in Quados, & in aſperrimas Germaniæ gentes agens, librum Græcè conſcripſit, *De ſe ipſo ad ſe ipſum.* Qui liber ſub titu-

lo

lo *De Marci Aurelij Vita* legitur, omni doctrina, omnibusque moralis Philosophiæ præceptis ad instruendum animum refertus est; ex quo Marcus à Philosophiæ studijs, vulgò Philosophus cognominatur. Tam magna verò hic Princeps dedit experimenta virtutum, vt palam fecerit, literas ac Philosophiam nihil bellicis laudibus officere, ac sapientia magis, quàm corporis viribus arma administrari.

MAXIMVS.

ΜΑΞΙΜΟΣ ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΡΩΜΑΙΟΣ Maximus Seueri filius Romanus. Extat inscriptio in istius Philosophi herma sine capite.

Autumat Faber, hunc Maximum fuisse Iuliani Augusti præceptorem, de quo diximus in eius imagine antecedenti, cuius vitam describit Eunapius. Sed non video, cur ille natione Græcus, atque Ephesius de hoc nostro Romano prædicari possit. Hunc, cuius in nostro herma memoria extat, Maximum potius præceptorem M. Aurelij esse opinamur, de quo sic Capitolinus: *Audiuit & Sextum Cheronensem Plutarchi Nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam, Catulum Stoicos.* Huius Philosophi præcepta, atque instituta idem Marcus recenset in eius vita, cui & statuam hermamque ab ipso positam fuisse credibile est: *Tantum enim honoris* (vt inquit Capitolinus) *Magistris suis detulit Marcus, vt imagines eorum aureas in Lario haberet, ac etiam Frontoni statuam in Senatu petijt.* Huius Philosophi eximij herma è Schedis Fuluij Vrsini descriptus, non sine magna temporis iniuria, auulso capite, ex Vrbis ruinis erutus fuit.

NVMA POMPILIVS.

NVMAE Regis sapientia, vno omnium ore, celebrata nos admonet, vt eum è solio ad Palladis, Musarumque chorum extollamus. Inclyta sanè eius iustitia, ac, si fas est dicere, Religio ipsum ad Romanum solium admouit, quod omni sacri, humanique iuris doctrina muniuit. Non desunt qui Numam Pythagoræ discipulum faciunt, & ad illum audiendum Crotonem contendisse narrant; quin etiam multa iuxta Pythagoræ præcepta Romanos docuisse memorat Plutarchus. Sed hos ratione temporum alij refellunt, cum Pythagoras centum annis inferior Numa floruerit in Italia, quo tempore Metapontum, & Crotonem petijt, ibique leges dedit.

PIT-

PITTACVS.

PITTACVS quoque ex Delphico Tripode, in omnes oras ſapientię famâ permanauit. Mytilenis natus, cum ab agro patrio hoſtes Athenienſes expuliſſet, apud ſuos in magno honore habitus eſt, princepſque Mytilenis factus, cum decem annis Rempublicam optimis inſtitutis compoſuiſſet, ſe ipſum ſponte magiſtratu abdicauit. Ad ſexcentos verſus de legibus ad Ciues ſcripſiſſe ait, eiuſq; ſententias refert in eius vita Laërtius, cum circa XIII. Olympiadem floruiſſet. Eius imago deprompta eſt ex antiquo æneo nummo, quem Mytilenęi in honorem illuſtrium ſuorum Ciuium Pittaci, & Alcæi percuſſere. Circa ipſam imaginem nomen Pittaci inſcriptum eſt ΠΙΤΤΑΚΟC. Alcæum verò inter illuſtres Poëtas retulimus. Hic nummus olim viſebatur apud Fuluium Vrſinum, apud quem etiam Pittaci ipſius ex marmore caput extabat.

PLATO.

INTER ſummos Philoſophos Diuini cognomen ſolus meruit Plato, ingenij ac doctrinæ Princeps. Hic ab alto demiſſus ad terras ſapientiam aſportauit, vt non tam Philoſophiæ cultu, quam Religionis myſterijs, quæ ad felicitatem ducit, Mortales erudiret. Pius ipſe ad Chriſtianam pietatem acceſſit, nullique magis, quàm illi, ex Philoſophis veritatis, ac naturæ lumen affulſit. Qua de cauſa illa Iouis capite nata Minerua, iunctuſque Muſarum chorus, in Academiæ hortis, Platani frondibus ſemper virentes lauros admiſcentes, coronam intexuere, ſertoque perenni Platonis capiti inſeruere.

Hic Platonis Herma, qui olim apud Fuluium Vrſinum extabat, eundem iam ſenem repræſentat, nam ſupra octuageſimum annum impleuit: cui mortuo Ariſtoteles aram, ſtatuamque ſacrauit. Item Mithridates Rhodobati filius Perſes in Academia Muſis imaginem Platonis dicauit, Syllanionis opus. Sed & ſapientes alij huius Philoſophi laudes cumulauerunt. Cicero in Bruto meminit ſtatuæ, quam ipſe habuit: *Tum in pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus*. Obuiæ ſunt ipſius imagines, tum in hermis, tum in anulis ex, ijs quas eius ſectatores plurimi ſtudio magiſtri venerari conſueuere. In hoc Herma, quem referimus, non ſolum lata frons, ſed & lati humeri deſignantur, vnde Platonis nomen, cum prius Ariſtocles vocaretur, Græca voce ſortitum eſſe affirmant.

PLATO.

EX Gemma Sarda ſiue Carniola oualis formę,ac inſignis artificii hæc altera Platonis imago deſumpta eſt, quam ex Græcia attuliſſe Iulianum Cæſarinum Cardinalem in Florentino Concilio Legatum Ioannes Faber memorat. Huic ſubiectus eſt herma truncato capite cum inſcriptione ΠΛΑΤΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝΟC ΑΘΗΝΑΙΟC Plato Ariſtonis filius Athenienſis iuxta Diogenem Laertium: qui eum Athenis patre Ariſtone, natum ſcribit anno ſecundo Olimpiadis octuageſimæ Archonte Aminia.

POSSIDONIVS.

IMMORTALITATIS famam iuremeritò obtinet Poſſidonius,non tantum quòd Rhodi Ciceronem in ſcholis docuerit,verùm etiam quòd ſuę doctrinę laudatiſſimum exemplar facto confirmauerit. Is namque ſæuo artuum morbo in lecto decumbens à Pompeio Magno honorificè ſalutatus, de bono, atque tolerantia differens, cum à doloribus excruciaretur, Nihil, inquit, agis dolor, quamuis ſis moleſtus, nunquam te confitebor malum. Sic tolerantiæ ac diſciplinæ ſuæ experimentum præbuit Poſſidonius; nihil malum exiſtimans niſi quod turpe. Huius Philoſophi ex marmore imago pectore palliato, nomen inſcriptum habet ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ. Extabat apud Cardinalem Farneſium, à cuius exemplari hæc noſtra deſumpta eſt. At quamuis Poſſidonius Rhodi doceret, Apamææ tamen Syriæ natum ipſum aſſerit Strabo.

PYTHAGORAS.

PHILOSOPHIAE Italicæ Princeps fuit Pythagoras Samius; nam à Samo Polycratis tyrannidem fugiens Italiam petijt, ſcholamque Cotrone inſtituit,& Philoſophiam primus, hoc eſt Sapientię ſtudium appellauit, è qua celeberrimi Philoſophi claruere. Extat perantiquus Imperatoris Commodi nummus à Samijs percuſſus, in cuius altero latere ipſius Imperatoris caput expreſſum eſt, in altero Pythagorę ſedentis viſitur ſimulacrum dexteram manum

ad

ad ſphæram columnæ ſuper impoſitam admouentis, ſiniſtra tenentis virgam, qua ipſe ſtellarum ſpatium & diſtantias dimetiebatur. Eius dogmata, præſtigia, ac mores à multis referuntur; in Aſtronomia verò laudatur à Plinio, vbi agit de natura ſiderum errantium, deque eorum motu. Tandem valdè ſenex, anno, vt creditur, ætatis ſuæ nonageſimo Metaponti obijt.

RVSTICVS.

LVCII Iunij Ruſtici Philoſophi Stoici meminit his verbis Capitolinus in vita Marci Aurelij: *Peripatetica verò ſtudioſus audiuit Claudium Seuerum, & præcipuè Iunium Ruſticum, quem & reueritus eſt, & ſectatus, qui domi militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum, cum quo omnia communicauit publica, priuataque conſilia; cui etiam ante Præfectos Prætorio ſemper oſculum dedit, quem & in Conſulem iterum deſignauit, cui poſt obitum à Senatu ſtatuas poſtulauit. Tantum autem honoris Magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulchra eorum aditu, hoſtijs, & floribus ſemper honoraret.*

SENECA.

LVCIVS Annæus Seneca Cordubâ Patriciâ Romanorum Coloniâ, equeſtri familia ortus, omnes ſui temporis ſapientiâ ſuperauit. Puer Romam perlatus, initio Pythogoræam, poſtmodum Stoicam diſciplinam amplexus, tùm doctrinæ, tùm frugalitatis, atque abſtinentiæ optimique Philoſophi iuuenis adhuc ſpecimen dedit. Meſſalinæ dolis à Claudio in Corſicam pulſus exilium conſtantiſſimè tulit, intentiuſque Philoſophiæ vacans, inter ea mala, quæ alios miſeros faciunt, felicem ſe, beatumque exulem dixit. Octauo exilij ſui anno fauore Agrippinæ in Vrbem reuerſus, adoleſcentiæ regendæ, docendæque Neronis Cæſaris eſt datus, qui poſtea in Imperio ſuccedens, Senecæ inſtitutis felici quinquennio Populum Romanum rexit. Voluptatibus inde, ac peſſimorum aſſentatorum Nero corruptus blandimentis, boniſque omnibus aduerſus, poſt matris, fratriſque ſcelus in Præceptorem ſæuijt, ipſumque ad mortem compulit. Adeò verò firmiter Seneca morti obuius occurrit, vt glorioſo conſtantiæ exemplo præcepta ſapientiæ aduersùm imminentia confirmauerit, ſectiſque venis pulcherrimam vitæ actæ imaginem relique-

liquerit. At nulla virtus, nullaque boni, rectique fama inter mortales est à criminationibus obnoxia, vt de multis sapientibus, deque ipso Socrate palam constat. Non desunt qui Senecam contumelijs afficiant, vt Dio Græcus homo, qui cum Duillio opes eius, lectulos cedrinos, hortorum amænitates, & magnificentiam grauiter increpat, multaque alia incusat, tanquam Philosopho indigna. Quibus omnibus Seneca ipse disertissimè respondet libro de Beata Vita: atque alibi ex suis scriptis frugalitatem, abstinentiam, ac (si fas est dicere) sanctitatem agnosces. Nostrum minimè est tanti Philosophi vindicare famam, cui valida defensione satis prouisum fuit à Iusto Lipsio, ac Antonio Delrio Clarissimis Viris in eius vita, atque ab alijs etiam, qui eius mores, scriptaque præconijs exornant. Principem eruditionis Senecam pronunciauit Plinius, in eoque multa probanda, multa etiam admiranda in sua censura fatetur Quintilianus. Nostra Senecæ ex marmore imago eundem repræsentat, qualem Tacitus, atque ipse met in suis epistolis describit parco victu, atque varijs morborum generibus extenuatum. Ipsam Roma ex Bibliotheca Camilli Cardinalis Maximi Excellentissimus D. Gaspar de Haro, & Guzman Catholicæ Maiestatis apud Innocentium XI. Orator, nunc Neapolitani Regni Prorex cum Hermis, cumque aliis Illustribus, vt diximus, asportauit. Similis imago Senecæ marmorea extabat apud Fuluium Vrsinum. Simulacrum verò è nigro lapide, sectis venis, in balneo morituri, ac de virtute differentis in Hortis visitur Burghesianis Romæ.

SOLON.

SOLON Athenienſis Legiſlator, ſeptem Græciæ ſapientum numero adſcriptus, imò omnium ſapientiſſimus. Cum enim ex his alter alterum in ſapientiâ primum proclamaret, Solon Delphos miſſo tripode, Apollinem ſolum ſapientię Principem aſſeruit. Deinde Creſi Regis fortunatiſſimi theſauris ſpretis, Mortalium neminem in hac vita beatum eſſe monuit: quam ſententiam Rex ſuo exemplo firmauit. Solonis Vultus expreſſus eſt ex anulari gemmâ Achate Sarda incisâ, olim apud Fuluium Vrſinum, adſcripto nomine ΣΟΛΩΝΟΣ, cui ſimilem vidimus in Pinacotheca Hyppoliti Vitelleſchij Equitis Romani, Statuarum, marmorum, omniſque antiquæ ſuppellectilis ornamentis decoratâ. Senilem eius LXXX. annorum ætatem refert, Athenis tyrannidem Piſiſtrato, Romæ Seruio Tullio regnum tenentibus.

SOCRA-

SOCRATES.

EN SOCRATIS Athenienſis imago, quem è cœlo Philoſophiam deuocaſſe prædicat Cicero. Primus Ethicen inuenit, affirmans nullum fructum percipi ex naturali ſpeculatione; eamque doctrinam potiùs conuenire, quæ inſtruit atque expolit animum, quàm quæ ad inanem ſapientiam perducit: & hinc meruit Pythiæ encomium: *Mortalium vnus Socrates verè ſapit*. Ipſe tamen Dijs magis, quàm hominibus ſimilis, impietatis accuſatus cicutam bibit, & exceſſit è vita. Serò tandem Athenienſes pœnitentia ducti, ciuſque virtutem admirantes, Socratis memoriam lacrymis proſecuti ſunt, æreamque ſtatuam à Lyſippo factam, in Vrbis celeberrimo loco ei poſuere. Faciem Socratis in Thæeteto deſcribit Theodorus ſimo naſo, ac prominentibus oculis. Fuit item caluus, ac Sileno perquam ſimilis, vt Critobolus in Conuiuio ipſum illudebat apud Xenophontem. Virtus verò non tàm in corpore pulchro, quàm in formoſo animo domicilium habet; ac firmiora ſunt, quæ intus, quàm quę extra, & propalam bona ab hominibus poſſidentur. Quoad annos vitæ Socratis; Leo Allatius in Dialogo, quem edidit de Scriptis Socratis, ad opinionem accedit illorum, qui ſeptuageſimæ ſeptimę Olympiadis anno quarto natum tradunt, tunc enim & ſub Lachete Arconte Athenis ſeptuagenarius cicutam bibit. Tres huius Philoſophi marmoreos Hermas exhibet hæc tabula, quorum primus deſumptus eſt ex archetypo Farneſiano.

SOCRATES.

NON video cur Socrati hanc tribuant imaginem. Seminudus ipſe abſque tunica humi ſedet cum tribonio, ſeu pallio ab vmbilico ad talos demiſſo; quod geſtamen ſolis Cynicis conuenit, palliati enim tantum, cætera nudi ſine tunica inducuntur. Socratem tamen tribonio indutum irridet Amipſias, apud Laërtium, ipſumq; diſcalceatum ac nudipedem deludit Ariſtophanes. Ipſe vero ad Agathonem proficiſcens vtebatur lauacro, ſordes pellebat, compto habitu induebatur, & calceis de more ſumptis ſe expoliebat ad venuſtatem, vt pulcher ad pulchrum. Obſtat etiam volumen quod Philoſophus vtraque manu tenet quaſi Philoſophiæ dogmata ſcripſerit. Socratem autem nihil literis mandaſſe plurimi tradidere, ac in primis Cicero lib. 3. de Oratore; quorum ſententiæ Leo Allatius

tius in Dialogo de ſcriptis Socratis aduerſatur, aliqua ab ipſo ſcripta fuiſſe demonſtrans.

SPEVSIPPVS.

SPEVSIPPVS Eurymedontis ex Platonis ſorore filius, poſt auunculi mortem annis octo Platonicæ ſcholæ in Academia præfuit. Eius vitam ſcripſit Laërtius, extatque ſine capite Herma cum quadratis litteris ΣΠΕΥΣΙΠΠΟΣ ΕΥΡΥΜΕΔΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ Speuſippus Eurymedontis filius Athenienſis, vt ex Fuluij Vrſini ſchedis.

THALES.

DElphici tripodis munere Thales ſeptem Sapientum primus collaudatus eſt. Is patria Mileſius, cum ex Ionia eſſet, Ionicæ Philoſophiæ princeps clariſſimus euaſit. Ex eius porrò ſchola tanquam è cœlo per ordines ſucceſſere illi Dijs potiùs, quàm hominibus ſimiles, in primis Socrates, Plato, Ariſtoteles. Huius Philoſophi caput ex marmore nomen collo inciſum habet ΘΑΛΗΣ extabatatque apud Achillem Maffæum.

THEOPHRASTVS.

THEOPHRASTVS ex Ereſo Lesbi loco Melantum Fullonem patrem habuit auctore Laërtio. Is Athenis vixit, Platonis primùm, poſtea Ariſtotelis auditor; cui ad Chalcidem profecto, in regimine Peripateticæ ſcholæ ſucceſſit, tanta ſui nominis celebritate, vt ad illum audiendum ad duo millia accurrerent diſcipulorum. Ob eius diuinam Atticæ eloquentię, facultatem, cum ipſe antea Tyrtamus appellaretur, ab Ariſtotele Θεόφραστος Theophraſtus hoc eſt Deiloquus fuit cognominatus: ac præter Diogenem, & Strabonem, Cicero adeò ipſum eloquentia excelluiſſe affirmat, vt nomen diuinum inuenerit. Quamuis verò ad tantam laudem Atticâ facundia Theophraſtus polleret, tamen cum eum loquentem audiuiſſet Anicula, aduenam eſſe, neque inter ciues Athenienſes verſari credidit, quòd ab vrbano ſono paululùm voce diſcreparet, vt refert idem Cicero.

XENO-

XENOCRATES.

XENOCRATES Chalcedonenſis Platonis diſcipulus poſt Speuſippum in Academia ſucceſſor, admirabilis continentiæ, ac frugalitatis reliquit exemplar. Cum enim Phryne nobile ſcortum ipſum in lecto tentaſſet, infecto opere, ſe non à viro, ſed à ſtatua exire percontantibus dixit. Seuero ſemper grauique aſpectu eum fuiſſe ſcribit Laërtius; ita vt ſæpè illi Plato diceret, vt Gratijs ſacrificaret. Eius herma, qui apud Fuluium Vrſinum extabat, capite auulſo, temporis iniuria, inſcriptionem tantum retinebat ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ ΑΓΑΘΑΝΟΡΟΣ ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΣ Xenocrates Agathanoris Chalcedonenſis. Imago verò quam, addimus, deſumpta eſt ab exemplari, quod adſeruatur Romæ in Aedibus Marchionis Fabritij de Maximis in marmore, in quo alijs nomen inciſum eſt literis: ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΟΣ.

ZALEVCVS.

ZALEVCVS Locrenſis Legiſlator, teſte Strabone, Cretenſium, Laconum, atque Areopagitarum ſelectis optimis inſtitutis, ſaluberrimas leges ſuis ciuibus tulit. Adeò verò fuit iuſtitię tenax, vt filio obcęcando in adulterij pœnam ſupplicantibus ciuibus vniuerſis, non aliter pepercerit, quàm ſi alterum ſibi, deinde filio alterum oculum erueret, & conſtanti exemplo ſanctiones ſuas confirmaret Valerio Maximo auctore.

Eius imago ex nummo Argenteo eorundem Locrenſium deſumpta, & adſcripto nomine ΖΑΛΕΥΚΟΣ. In aduerſo ΛΟΚΡΩΝ ΕΠΙΖΕΦΥΡΙΩΝ Locrenſium ad Zephyrium montem incolentium in Italiæ parte, quæ Magna Græcia vocabatur.

ZENO.

ZENO Eleates Auctor Stoicæ Sectæ, Parmenidis auditor fuit; adeo verò ingenio præstans, vt ipsum Dialecticæ inuentorem Aristoteles fecerit, eiusque volumina sapientiâ pleniſſima commendet auctore Laërtio. Placuit illi Mundos esse plures sine vacuo, naturamque omnium rerum ex calido & frigido, aridoque & humido fuisse profectam. Narratur eius egregium factum; comprehensus enim à Nearcho, siue Diomedonte Tyranno, omnes illius amicos coniurationis conscios esse dixit, deinde cum ad aurem ipsius Tyranni loqui velle simularet, eam mordicùs apprehensam non ante dimisit, quàm dentibus perforaret. Demum præcisam linguam in ora eiusdem dicitur conspuisse, ciuesque continuò facto impetu, lapidibus Tyrannum obruisse. Imago huius Philosophi in marmoreo herma desumpta est ex schedis Fuluij Vrsini, adscripto nomine ZHNΩN. Alia etiam ex marmore visitur adhuc in Aedibus Farnesianis. Apuleius in prima sua Apologia Zenonem inter Philosophos formosos præcellentes numerat. Vixit Olympiade cx. eodem tempore quo Cyrus Asiæ Imperium tenuit.

IMAGINES
VETERVM
ILLVSTRIVM POETARVM

PARS SECVNDA

Romæ apud Io: Iacobum de Rubeis
Ad Templum S.te Mariæ de Pace
cum priuilegio Summi Pontificis
Anno MDCLXXXV



ALCAEVS MYTILENAEVS

Vnus ex nouem Lyricis, qui apud Græcos celebrantur aureo plectro donatus

Apud Fuluium Vrsinum in nomismate æreo



ANACREON

Inter celeberrimos Græciæ lyricos adscriptus suis Odis mella instillauit

Apud Fuluium Vrsinum in nomismate æreo



ARATVS

Astronomus Phœnomenon Scriptor

In Numismate æreo apud Fulvium Vrsinum



ARISTOPHANES

Vetèris Comœdiæ Poeta cum risu mordax

Apud Magnum Etruriæ ducem

45.

ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ·ΛΥΣΙΜ

CALLISTHENES LYSIMACHI

EVCHARIS LICINIAE.L

DOCTA.ERODITA OMNESARTES VIRGO VIXIT.AN.XIIII.
HEVS OCVLE ERRANTE QVEI ASPICIS LETI DOMVS
MORARE GRESSVM ET TITVLVM NOSTRVM PERLEGE
AMOR PARENTEIS QVEM DEDIT NATAE SVAE
VBEI SE RELIQVIAE CONLOCARENT CORPORIS
HEIC VIRIDIS AETAS CVM FLORERET ARTIBVS
CRESCENTE ET AEVO GLORIAM CONSCENDERET
PROPERAVIT HORA TRISTIS FATALIS MEA
ET DENEGAVIT VLTRA VEITAE SPIRITVM
DOCTA ERODITA PAENE MVSARVM MANV
QVAE MODO NOBILIVM LVDOS DECORAVI CHORO
ET GRAECA IN SCAENA PRIMA POPVLO APPARVI
EN HOC IN TVMVLO CINEREM NOSTRI CORPORIS
INFISTAE PARCAE DEPOSIERVNT CARMINE
STVDIVM PATRONAE CVRA AMOR LAVDES DECVS
SILENT AMBVSTO CORPORE ET LETO TACENT
RELIQVI FLETVM NATA GENITORI MEO
ET ANTECESSI GENITA POST LETI DIEM
BIS HIC SEPTENI MECVM NATALES DIES
TENEBRIS TENENTVR DITIS AETERNA DOMV
ROGO VT DISCEDENS TERRAM MIHI DICAS LEVEM

EVCHARIS

Liciniae liberta nobilis sui temporis siue saltatrix illa siue Mima

EVRIPIDES

Tragicus . Illustris, Sophoclis æmulus

Apud Exc: D. Gasparum de Haro, et Gusman, Catholicæ Maiestatis apud Innocentium XI Oratorem,
nunc Neapolitani Regni Proregis

48.



EVRIPIDES

Apud Fulvium Vrsinum in marmore

HESIODVS

Musarum Sacerdos, quem in Georgicis Virgilius est imitatus

Apud Fulvium Vrsinum in marmore





HESIODVS



HOMERVS

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ, Orbis de patria certat Homere tua

Apud Cardinalem Farnesium

52.



ΟΜΗΡΟΣ

ΗΡΩΩΝΚΑΓΥΚΛΑΡΕΤΑΣΜΑΚΑΒΙΩΝΤΕΠΡΟΦΗΤΑΝ
ΕΛΛΑΝΩΝΑΟΙΔΟΝΞΕΝΣΔΕΥΤΕΡΟΝΑΕΛΙΟΝ
ΜΟΥΣΕΩΝΦΕΙΤΟΣ ΟΜΗΡΟΝΑΤΗΡΑΤΟΝΣΤΟΜΑΚΟΣΜΟΥ
ΠΑΝΤΟΣ ΟΡΑΣ ΤΟΥΤΟΝΑΙΔΙΔΑΟΝΑΡΧΕΤΥΠΟΝ.

ΟΥΧΕΘΟΣΕΣΤΙΝΕΜΟΙ ΦΡΑΤΕΙΝΤΕΝΟΣΟΝΟΜΑΥΤΟ
ΝΥΝΔΕΝΕΚΑΙΛΙΑΝΟΥΠΑΝΤΑΣΑ ΦΩΣΕΡΕΩΙ
ΠΑΤΡΙΣΜΟΙΧΕΩΝΠΑΣΑ ΤΟΔΟΥΝΟΜΑΦΑΣΙΝΟΜΗΡΟΝ
ΕΣΠΑΣΕΜΟΥΣΑΩΝΟΥΚΕΜΟΝΟΥΔΕΝΕΠΟΣ

ΣΙΜΕΝΟΝΗΤΟΣ ΕΦΥΣΕΠΩΣΑΘΑΝΑΤΟΝΣΕΕΠΟΙΗΣΑΝ
ΜΟΥΣΑΙΚΑΙΜΟΙΡΑΙΝΝΕΜΑΝΕΚΑΛΩΣΑΝΑΝΑΣ
ΕΙΔΗΣΘΑΛΑΘΑΝΑΤΟΣΠΩΣΕΝΘΝΗΤΟΙΣΣΕΑΡΙΘΜΟΥΣΙΝ
ΟΥΜΑΣΕΤΑΥΤΕΧΡΗΝΣΕΜΝΕΠΟΙΗΤΑΦΡΟΝΕΙΝ
ΑΛΛΕΠΙΝΟΝΤΟΛΛΗΘΕΣΕΠΕΙΤΟΣΑΦΕΣΔΙΑΦΕΥΓΕΙ
ΑΝΘΡΩΠΟΝΦΑΣΙΝΘΕΙΕΣΕΟΜΗΡΕΠΕΛΕΙΝ·



Q. HORATIVS FLACCVS

Me doctarum ederæ præmia frontium Dîs miscent superis

Ex Numismate in Thesauro Christinæ Reginæ *Aug.*

54.



ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ

ΕΧΡΗΝΜΕΝΣΤΗΣΑΙ ΣΥΝΕΡΩΤΙΦΙΛΩΣΕ ΜΕΝΑΝΔΡΕ
ΩΣΥΝΖΩΝΕΤΕΛΕΙ ΣΟΡΓΙΑΤΕΡΠΝΑΘΕΟΥ
ΔΗΛΟΣΔΕΙΦΟΡΕΩΝΑΙΣΘΕΟΝ ΟΠΠΟΤΕΚΑΙΝΥΝ
ΣΗΝΜΟΡΦΗΝΚΑΤΙΔΩΝΑΥΤΤΙΚΑ ΠΑΣΣΕΦΙΛΕΙ

ΦΑΙΔΡΟΝΕΓΑΙΡΟΝΕΡΩΤΟΣΟΡΑΣΣΕΙΡΗΝΑΘΕΑΤΡΩΝ
ΤΟΝΔΕΜΕΝΑΝΔΡΟΝΑΕΙΚΡΑΤΑ ΝΥΚΑΖΟΜΕΝΟΝ
ΟΥΝΕΚΑΡΑΝΟΡΩΠΟΥΣΙΑΡΟΝΒΙΟΝΕ ΞΕΔΙΔΑΞΕ Α
ΗΔΕΣΚΗΝΗΝΔΡΑΜΑΣΙ ΠΑΣΙΓΑΜΩΝ

ΟΥΦΑΥΛΩΣΕΣΤΗΣΑΚΑΤΟΦΘΑΛΜΟΥΣΕΜΕΝΑΝΔΡΕ
ΤΗΣΔΕΓΟΜΗΡΕΙΗΣ ΦΙΛΤΑΤΕΜΟΙ ΚΕΦΑΛΗΣ
ΑΛΛΑΞΕΔΕΥΤΕΡΑΕΤΑΞΕΣΟΦΟΣΚΡΕΙΝΕΙΝΜΕΤΕΚΕΙΝΟΝ
ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΣΚΛΕΙΝΟΣΠΡΟΣΘΕΝΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ

MENANDER

Menander inter omnes nouæ Comœdiæ Poetas facilé princeps
Apud Fuluium Vrsinum *in marmore*

MOSCHION
Apud Fulvium

ΜΟΣΧΙΩΝ

TA
COMICVS POE
Vrsinum in marmore

56.



OVIDIVS NASO

Ille hic est Vates Peligna gloria gentis
Ingenio perijt qui miser ipse suo
Apud Feliciam Rondanini Clariss. matronam Romanam

57.

A · PERSIVS FLACCVS

Satyricà Poesi clarissimus

Olim in Bibliotheca Iacobi Cardinalis Sadoleti, postea Julij Virsini

58.



PINDARVS

Nouem lyricorum longè Pindarus Princeps, Apollinis delicium

In ædibus Iustinianis

59.

PINDARVS
Pindari Statua, sine capite, temporis ui deformata
Apud Fuluium Vrsinum in marmore

POSIDIPPVS · POETA COMICVS

In Hortis Montaltis



PYTHEVS

Poeta Colophonius

Ex Fuluij Vrsini Bibliotheca

62.

Nona nec est inter Sappho Lyricosque, virosque,
sed numerum Musis auget et hęc decima

ex schedis Pyrrhi Ligory in Bibliotheca Vaticana 63.

SOPHO CLES
Poeta cothurno, et grau itate omnibus Sublimior
ΣΟΦΟΚΛΗΣ
Apud Fulvium Vrsinum in marmore
64.



P. TERENTIVS AFER

Arte summa, Lectissimaque sermonis puritate inter Latinos Comicos spectandus

Ex uetustissimo Codice Vaticano

THEOCRITVS

Singulari exornatur præconio, quòd ipsum in Bucolicis Virgilius sit imitatus

Apud Fulvium Vrsinum in marmore



PVB. VIRGILIVS MARO

Mæonium quisquis Romanus nescit Homerum
Me legat, et lectum credat utrumque sibi

Apud Ful. Vrsinum in Nomismate æreo.

VIRGILIVS MARO

Apud Petrum Stephanonium in Gemmâ

POETA

proposito præmio carmina recitans



SILENI AC DIONYSIACÆ PERSONÆ

IN IMAGINES VETERVM ILLVSTRIVM POETARVM *EXPOSITIONES.*

ALCAEVS.

ALCAEVS Mytilenæus vnus ex nouem Lyricis, qui apud Græcos celebrantur, æternitati famæ commendatur. Plectrum eius aureum nuncupant Horatius & Quintilianus. Stylo fuit grandi, ac sonoro; percitus verò Musarum œstro non armis tantum, sed carminibus etiam suis ad tuendam patriæ libertatem aduersus Tyrannos acriter decertauit, ac de eodem conterraneo suo in hunc modum Sappho apud Ouidium.

Nec plus Alcæus consors patriæque, lyræque
Laudis habet, quamuis grandior ille sonet.

Ab Alcæo Alcaicum carmen, quo genere potissimum vsus est Horatius. Eius verò facies desumpta est ex æreo Fuluij Vrsini nummo, quem Mytilenenses percussere: ΑΛΚΑΙΟϹ ΜΥΤΙΛ *Alcæus Mytilenensium*. In postica sculptus est Pittaci vultus, vt suo loco recensuimus inter Illustres Philosophos. Populus itaque Mytilenensium hoc monumentum posuit Alcæo, & Pittaco, vt suos præclarissimos ciues summo honore prosequens, se quoque ipsum apud posteros decoraret. Claruit alter Alcæus Poëta Comicus ætate Aristophanis, qui cum eodem Athenis certauit, eiusque extat mentio apud Athenæum, & Pollucem. Sed hæc nostra imago ad celebrem illum Lyricum Mytilenensem, ex inscriptione referenda est.

ANACREON.

ANACREON Teius Anacreontici metri auctor, inter nouem eximios Græciæ Lyricos adscriptus, suis Odis Musarum mella instillauit, quibus amatorias curas demulcebat. Huius Poetæ imago æneo nummo insculpta, senilem Anacreontis ætatem representat, quam indicat Ouidius:

Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia Musa senis?

In altera nummi parte, vt notat Ioannes Faber, Bathilli ab Anacreonte celebrati imago exprimi videtur, si ex literis, quæ in orbe leguntur ΒΑΘΥΛΛΟC *Bathyllus* intelligatur. Floruit Anacreon temporibus Polycratis Samiorum tyranni, ab eodem in gratiam acceptus, quòd versibus suis eum celebraret. Nummus in Fuluij Vrsini Bibliotheca adseruabatur.

ARATVS.

ARATI Solensis celebre nomen est ob ipsius Phænomena, ac Prognostica ornatissimis versibus scripta. Mirùm tamen, vt inquit Tullius, quod Aratus, quamuis Astrologiæ ignarus, adeò eruditè de Astris, deque sideribus scripserit. Arati, & Chrysippi imagines depromptæ sunt ex æreo nummo percusso à Solensibus ad memoriam, & gloriam vtrorumque suorum ciuium. Nummus verò ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ *Pompeiopolitarum* nomen profert; nam Solos Vrbs Ciliciæ maritima à Pompeio Magno instaurata, Pompeiopolis fuit appellata. Arati vultum ab altera Chrysippi facie in aduerso nummi latere expressa ex eo distinguit Faber, quod Aratus ipse Astrologiæ studiosus ad instar intuentis cœlum effictus sit. Floruit Hieronis Regis Siciliæ temporibus, Theocrito æqualis. Chrysippum supra inter Philosophos recensuimus.

ARI-

ARISTOPHANES.

ARISTOPHANES veteris Comœdiæ Poeta inter nobiliſſimos Comicos Græcos numeratur, ſed qui cunctos conuitijs proſcindens irriſor, & ſubſannator, nec ipſi Socrati pepercit, Anito, & Melito ſuggerentibus ad exitium Philoſophiæ parentis, in Comœdia, cui nomen eſt ΝΕΦΕΛΑΙ ſiue Nubes, eum illudens. Ariſtophani verò ità cum riſu Athenienſes proceres increpanti dies eſt dictus, teſte Aeliano, quòd ipſorum mores laceraret: quare ipſe medium Comœdiæ genus inter veteris dicacitatem, & nouæ hilaritatem inuenit, ac ludricas perſonas ad riſum accommodatas excogitauit. Ipſius herma in Villa Tiburtina Hadriani repertus fuit cum inſcriptione ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Eius caput, vt notat Faber, non præſefert caluitium, cuius Plutarchus, & ipſe Ariſtophanes in Comœdia ΕΙΡΗΝΗ meminere, quare ſuſpicari licet hanc imaginem nondum ſenili ætate factam.

CALLISTHENES.

ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ ΛΥΣΙΜ *Calliſthenes Lyſimachi* filius. Ioannes Faber Calliſthenem intelligit memoratum ab Athenæo, & Suida, qui aliquot eius Comœdias citant, quamuis corruptè apud vtrunque Calliam pro Calliſthene ſcribi aſſerat. Cuiuſcumque verò fuerit hæc larua, capillitium, ſiue galericulum totius capitis tegumentum de more habet. Aliæ adfines laruæ in gemmis, & lapidibus occurrunt Tragico, & Comico apparatui conuenientes. Hiſtriones porrò tanti faciebant ſuas laruas, quibus famam ſibi compararuerant, vt eas in ſuis monumentis, anulis, inſignibuſque, etiam adſcripto nomine, exprimerent.

EVCHARIS.

EVCHARIS Muſarum alumna, nobilis Cantrix ipſa ſuum in tumulo canit elogium.

DO-

4 DOCTA ERODITA PAENE MVSARVM MANV
QVAE MODO NOBILIVM LVDOS DECORAVI CHORO
ET GRAECA IN SCAENA PRIMA POPVLO APPARVI.

Inſcriptio ipſa quæ integra cum imagine exhibetur, ex literis aliqua vetuſtioris ætatis indicia præbere videtur, ex quibus intelligere licet, ipſam Eucharim primam Romæ apparuiſſe Græca in ſcæna. Tunc enim Romani Vates ſumptas à Græcis Fabulas latinitate donabant, ac Romana toga indutas producebant in ſcænam. Cæterùm ipſa laurigero diademate redimita eſt de more Illuſtrium Poetarum, qui in ſacris certaminibus carminum præſtantia victores coronabantur.

EVRIPIDES.

EVRIPIDES Athenienſis, carmine Tragico plurimos ſui amatores habuit, famamque Sophoclis in ancipiti reliquit. Vterque Tragædiam ab Aeſchilo productam longè clarius illuſtrauit; Sublimior Sophocles; ſententijs denſus atque in affectibus mirus Euripides iudicio Quintiliani. Huius Poetæ marmoreus Herma affabrè inſculptus, à quo noſtræ imaginis ſimilitudinem duximus, ex Bibliotheca Camilli Maximi Cardinalis ditiſſimæ Gazæ Excellentiſs. D. Gaſparis de Haro, & Guſman, nunc Neapolitani Regni Pro-Regis cum reliqua erudita ſupellectile, vt aliàs diximus, acceſſit.

EVRIPIDES.

IN HAC tabula Euripidis ſtatua exhibetur capite brachijſq; mutilata, eius nomine in baſi adſcripto ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ. Item herma ſiue capite, in quo legitur ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ ΜΝΕΣΑΡΧΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ *Euripides Mneſarchi Athenienſis*. Cum his aliud exhibetur Euripidis caput marmoreum adſcripto etiam nomine; ſed cum ab alijs omnibus eius imaginibus ſimilitudine prorsùs differat, Euripidem alium referre opinamur.

HESIODVS.

HESIODVS in Aſcrâ ad radices Heliconis natus Muſarum Sacerdos, à Muſis ſuorum carminum conſecutus eſt immortalitatem. Meruit inde grande illud Maronis elogium,

Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

Ipſum vnum Maro è Græcorum Scriptoribus in Georgicis eſt imitatus. Homeri, atq; Heſiodi Poëmatibus nihil antiquius Græci iactant: vtrùm verò alter altero natu prior ſit, inter ipſos certatur: plurimi tamen conſentiunt, ante Romam conditam aliquo tempore ſimul vixiſſe. Longam Heſiodi ætatem hæc noſtra imago indicat, eumque extrema ſenectute obijſſe ſcribit Plutarchus, prouerbiumque de eo dici ſolitum Ἡσίοδος γηραιότερος *Heſiodo ſenior*.

HESIODVS.

HESIODI facies, quæ ſuper eius herma exhibetur, deſumpta eſt ex Corniola ouali, prorſus illi ſimilis, quam in antecedenti oſtendimus. In ipſo verò Herma ſine capite legitur ΗΣΙΟΔΟΣ ΔΙΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΣ. *Heſiodus Dij filius Aſcræus*. Altera verò eiuſdem Heſiodi imago marmorea non adeo ſenilem eius ætatem repræſentat. Meminit Pauſanias eiuſdem æneæ ſtatuæ, quam Theſpij in foro poſuerunt, præter alias eius memoriæ dicatas.

HOMERVS.

VT OMNIA laudum præconia in vnum Homerum congeramus, illud ſufficiat, in terris patria caruiſſe, vt ei cœlum pro patriâ auſpicemur, quemadmodum cecinit Sincerus.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ
Cedite; iam Cœlum patria Mœonidæ eſt.

Sic Homerum inter Mortales, quaſi Deorum quempiam ſuſpicientes, eius diuina poëmata alij Ioui, alij Apollini, alij Muſis adſcripſerunt. Scribit Plinius, Aſinium Pollionem, cum veram Homeri imaginem in ſua Bibliotheca

theca collocandam inuenire non posset, eam ex ingenio Artificum effingi curasse, vt Musarum Antistitis ementitus vultus hominum desideria expleret. Traditum etiam est cœcum illum fuisse, atque à sua cœcitate ex Melesigene Homerum nuncupatum, vt nostra imago vtroque lumine orbatum, ac supercilijs prominentibus refert, qualem Christodorus eius statuam describit, quam ex versione C.V. Leonis Allatij exhibemus. *Est & Bibliotheca, & Homerium, scilicet porticus quadrata, templum habens Homeri, & simulacrum. Nam Smyrnæi quoque Homerum sibi acriter vindicant: & nomisma quoddam æreum apud eos Homerium vocatur.* Crispam præterea modicamque barbam habet, quam in vera Homeri imagine probat idem Allatius, vt in sequenti. Tæniâ insuper seu diademate Poëtarum Princeps coronatur.

HOMERVS.

HOMERI statuam in hac tabula incisam, brachijs, cruribusque amputatis, facie verò, & capite integro, atque à temporis iniurijs incolumi, commendat Allatius in Præfatione ad librum de Patria Homeri, vt quæ non ex ingenio excogitata sit, quemadmodum Plinius de Asinio Pollione memorat, sed potùis ad similitudinem expolita, atque ad posteros per manus tradita. Comparata enim cum alia eiusdem Vatis in nummo Chiorum, quem hìc exhibemus, & cum Farnesiana in antecedenti marmore exhibitâ, similitudine vultus ijsdem proximè respondet, modicâ, & crispâ barba, non longâ, & ad pectus propexa, qualis circumfertur in recentioribus nummis contorniatis absque vlla cum Homero affinitate. Chiorum nummus in gratiam Homeri percussus, hinc Sphingem alatam dextero pede lyræ innixam cum epigraphe XIΩN; inde eiusdem Homeri sedentis simulacrum vtraque manu carminum volumen in sinu tenentis exhibet adscripto nomine OMHPOC: cui prorsus simile in exiguo frusto veteris marmoreæ tabellæ in nostro Musæo adseruamus. Chiorum verò nummi, de quo loquimur, Aristoteles & Pollux meminere, eundemque laudatus Allatius prædicto libro de Homeri Patria illustrauit. Cum verò nobiles Græciæ Vrbes Homeri natale sibi contentiosè vindicarent, eius imagines, & simulacra tamquam maius patriæ decus ac gloriæ insigne præferebant. Inter quas Vrbes præter Chium, etiam Smyrna in Homeri venerationem, nummum æreum percussit Homeri nomine insignitum, quem OMHPEION Homereum siue Homericum nuncupatum asserit Strabo. Sedentem Vatem philosophico pallio amictum, dextera ramum,

mum, ſiue acroterium, maritimæ Vlyſſis peregrinationis ſymbolum, tenentem, ab vno latere nummus oſtendit cum nomine OMHPOC: ab alio coronam lauream, in cuius medio legitur CMYPNAIΩN. Plurimos Amaſtris Vrbs Ponti nobiliſſima in huius Poëtæ gratiam nummos ſignauit, non quòd pro Homeri natali contenderet, ſed quòd carminum, ac ſapientiæ ſtudijs eidem eſſet addictiſſima, vel vt alijs placet, ob Smyrnęorum affinitatem. Horum præcipuus nummus Homeri vultum in anticâ refert, in poſticâ verò Fluuij Meletis iacentis ſimulacrum cum literis MEΛHC AMACTPIANΩN ad comprobandam ipſius patriam Smyrnam, quam Melis alluit, & iuxta quem Homerum in lucem editum aſſerebant. Inde Statij vulgatum carmen de ipſo Vate

Smyrna tibi natale ſolum, potuſque verendo
Fonte Meles.

Fluuius dextra lyram tenet ad indicandum Muſarum Alumni melos; à Fluuio autem Melete Homerus antea Meleſigenes, quaſi Meletis Filius fuit cognominatus. Eadem Vrbs Amaſtris alios duos æreos nummos ſignauit; quorum alter, præter Homeri vultum ac nomen OMHPOC, Victoriam ex aduerſo repræſentat cum laurea, & palma, ac literis AMACTPIANΩN; alter ipſius Vrbis Amaſtraſis ſedentis ſimulacrum Victoriolam tenentis exhibet cum eadem epigraphe. Quartus nummus hinc Vrbis ipſius turritę, inde Homeri caput repręſentat. Quintus ſub Marco Aurelio in antica exprimit huius Imperatoris caput, in poſtica Homeri diademâti vultum cum titulo OMHPOC AMACTPIANΩN. Atque eodem ſtudio aliæ Vrbes ſub Auguſtis Homero monumenta poſuere. Reſtat, vt tria Epigrammata, quæ Homeri Hermæ in ſuis Hortis ſcripſit Aelianus, referamus quorum primum legere eſt in Anthologia ex Antipatro in aliquibus varians.

ΟΜΗΡΟΣ
ΗΡΩΩΝ ΚΑΡΥΚ ΑΡΕΤΑΣ ΜΑΚΑΡΩΝ ΤΕ ΠΡΟΦΗΤΑΝ
ΕΛΛΑΝΩΝ ΔΟΞΗΣ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΕΛΙΟΝ
ΜΟΥΣΩΝ ΦΕΓΓΟΣ ΟΜΗΡΟΝ ΑΚΗΡΑΤΟΝ ΣΤΟΜΑ ΚΟΣΜΟΥ
ΠΑΝΤΟΣ ΟΡΑΣ ΤΟΥΤΟΝ ΔΑΙΔΑΛΟΝ ΑΡΧΕΤΥΠΟΝ

Heroum præconem virtutis, beatorumque vatem,
Græcorum gloriæ ſecundum ſolem,
Muſarum lumen Homerum, immortale os mundi
Totius, cernis hanc artificioſam effigiem.

ΟΥΚ ΕΘΟΣ ΕΣΤΙΝ ΕΜΟΙ ΦΡΑΖΕΙΝ ΓΕΝΟΣ ΟΥΔΟΝΟΜ ΑΥΤΟ
ΝΥΝ Δ ΕΝΕΚΑ ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΠΑΝΤΑ ΣΑΦΩΣ ΕΡΕΩ

ΓΑ-

ΠΑΤΡΙΣ ΕΜΟΙ ΧΘΩΝ ΠΑΣΑ ΤΟ ΔΟΥΝΟΜΑ ΦΑΣΙΝ ΟΜΗΡΟΝ
ΕΣΤΙ ΔΕ ΜΟΥΣΑΩΝ ΟΥΚ ΕΜΟΝ ΟΥΔΕΝ ΕΠΟΣ

Non mos eſt mihi dicere genus, neque nomen ipſum :
Nunc autem Aeliani gratiâ omnia clarè ediſſero.
Patria mihi terra vniuerſa, nomen verò dicunt Homerum.
Eſt autem Muſarum, non meum omne carmen.

ΕΙ ΜΕΝ ΘΝΗΤΟΣ ΕΦΥΣ ΠΩΣ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΣΕ ΕΠΟΙΗΣΑΝ
ΜΟΥΣΑΙ ΚΑΙ ΜΟΙΡΩΝ ΝΗΜ ΑΝΕΚΛΩΣΑΝ ΑΝΑΞ
ΕΙ ΔΗΣΘ ΑΘΑΝΑΤΟΣ ΠΩΣ ΕΝ ΘΝΗΤΟΙΣ Σ ΑΡΙΘΜΟΥΣΙΝ
ΟΥ ΜΑ ΣΕ ΤΑΥΤ ΕΧΡΗΝ ΣΕΜΝΕ ΠΟΙΗΤΑ ΦΡΟΝΕΙΝ
ΑΛΛ ΕΓΝΩΝ ΤΟ ΑΛΗΘΕΣ ΕΠΕΙ ΤΟ ΣΑΦΕΣ ΔΙΑΦΕΥΓΕΙ
ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΦΑΣΙΝ ΘΕΙΕ ΣΕ ΟΜΗΡΕ ΠΕΛΕΙΝ

Si quidem mortalis genitus fuiſti, quomodo immortalem te fecerunt
Muſæ, & Parcarum Filum reuoluent, ò diue?
Si tandem immortalis, quomodo inter mortales te numerant?
Non hercle talia oportebat de te venerande Poëta ſapere.
At verum noui; quoniam certitudo eos refugit,
Hominem te aiunt, diuine Homere, eſſe.

HORATIVS.

TAM dulce canit Venuſina Cithara, vt ex Aonio vertice ad Palatinum collem Muſæ deductæ cum Apolline ſuo ad numerum modulari videantur. Horatius Romanæ fidicen lyræ Pindaricis modis flectens vocales chordas, Thebanum barbiton intulit Auſoniæ primus, Latiaſque aures demulſit.

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi,
Grata teſtudo Iouis.

Captus Philippenſi bello, Mæcenatis beneficio ſeruatus, ac penè ditatus, ex hoſte, & ſeruo in Auguſti gratiam receptus, Dijs ſe immiſcuit ſuperis. Primus omnium Latinorum verſus Lyricos exemplo Græcorum ſcripſit, Princepſque iure optimo habetur, vt de ſe ipſo prædicat idem Horatius.

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxiſſe modos.

Odas ſua Carmina appellauit, in ijſque ita excelluit, vt Venuſina lucerna cunctis, qui poſtea in eodem Poëſeos genere claruerunt, affulſerit. Satyras

etiam

etiam acceptas à Lucilio expoliuit, in ijſque terſior, ac purus magis inſurgit. Huius Vatis, quam edimus imaginem ex æreo nummo in eius honorem percuſſo, atque in Theſauro Reginæ Chriſtinæ adſeruato, accepimus, qui tamen nummus contornatus multùm diſtat ab Horatij ætate, ſequioribus ſęculis excuſſus. Statura fuiſſe exiguâ atque præcanum, hoc eſt immaturâ canitie, quin & lippum vſum collirijs ipſe refert; quamuis oculorum vitium nullum in hac imagine appareat.

MENANDER.

MENANDER Athenienſis inter omnes nouæ Comœdiæ Poëtas facilè princeps, ſummis præconijs à Quintiliano exornatur, vt qui vel vnus inueniendi copia, & eloquendi facultate, rebusque omnibus, perſonis, & affectibus accommodatus, vniuerſam vitæ imaginem expreſſerit. Menandri effigies in rotundo clypeo marmoreo eius nomen inciſum habet: ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. In ipſius verò clypei latere aduerſo Sophoclis imago ſimiliter palliata inſculpta eſt, quam inde exhibebimus; quorum alter Tragœdię, alter Comœdiæ, principes habiti ſunt. Marmor verò, quod vtriuſque vultum exhibet, effoſſum fuiſſe traditur extra Portam Aureliam in cuiuſdam Poëtæ ſepulcrali monumento, ſuper quo ſtatua Apollinis cum Muſis nouem, Homeri præterea, Euripidis, & Pindari ſtatuæ ſequebantur, referente Ioanne Fabro. Huic alia ſubijcitur ſine nomine Menandri effigies; Herma verò capite mutilatus tribus Epigrammatibus in laudem Menandri inſcriptus eſt, vt alter Homeri Hermes exhibitus, quorum auctor creditus eſt Aelianus. Quare facilè conijcias, vtrumque Hermam in Villa ipſius poſitum fuiſſe, vt ſupra ad Homeri imaginem adnotauimus. Menandro extincto ſtatuam Athenienſes in loco celebri, quà ex Piræo Athenas itur, poſuere, aliaque Conſtantinopoli in Gymnaſio à Chriſtodoro in Epigrammate celebratur.

MOSCHION.

MOSCHIONIS Poëtę Comici Comœdiarum non ſemel Stobęus, & Clemens Alexandrinus meminere. Eius ſtatua marmorea, quam ſedentem exhibemus, extabat apud Fuluium Vrſinum, in cuius baſi nomen ΜΟΣΧΙΩΝ legitur. Alius fuit Moſchus Poëta Syracuſius in Sicilia natus, Bucolici Carminis

minis ſcriptor, qui poſt Theocritum vixit, atque Amorem fugitiuum pinxit potiùs quàm ſcripſit.

OVIDIVS.

PVBLIVS OVIDIVS NASO Pelignæ gloria gentis, iucundiſſimus Venerum, Amorumque luſor, idemque ſæui exilij ſui dulcis modulator; tùm blandis, cùm triſtibus modis, ſiue ad ripam Tybridis, ſiue ad Geticum littus, ſemper in medio Helicone ſuaui reſonans melo: hoc vno tantum infelix, quod ſuo perijt ingenio.

Aereus nummus Ouidij hinc eius caput exhibet cum epigraphe OYHIΔIOΣ NAΣON *Ouidius Naſo*; inde cuiuſdam Menandri Parrhaſij caput repræſentat MEN . . . AΣIOY *Menandri Parrhaſij*, qui huic præſtantiſſimo Vati deuotus tale monumentum poſteritati commendauit. De hoc Ouidiano nummo ſic Clariſs. Sphanhemius in ſuis Diſſertationibus: *Vt leuis terra ſit huic Parrhaſio, qui ſacros vultus Muſarum, Venerumque omnium Sacerdotis intercidere non eſt paſſus, quos bona cum Auguſti venia omnes Muſis Gratijsque initiati in ſacrarijs ſuis recondant*. De Ouidij imagine cum hederacea corona ſic ipſe conquerens in Triſtibus:

Si quis habet noſtris ſimiles in imagine vultus;
Deme meis hederas Bacchica ſerta comis.

De alia eiuſdem Ouidij effigie in Gemma anulari ſculpta, auroque incluſa ſequitur Poëta in ead. Elegia.

Effigiemque meam fuluo complexus in auro,
Cara relegati, quę potes, ora vides.

Nicolaus Heinſius eximium huius ſæculi decus in nouiſſima Naſonis ſui editione primus ex hoc nummo Ouidij vultum expreſſit, typisque edidit ex ditiſſima veterum Numiſmatum Gaza congeſta à Felicia Rondanina priſcę nobilitatis, ac probitatis Romana Matrona, parique eruditionis famà illuſtri. Quamuis autem in hac imagine laurea, ſeu tenia incertis notis appareat vetuſtate conſumpta; laureatam tamen effinximus, qualem ex eodem nummo ipſe Heinſius ſuæ editioni præpoſuit.

PERSIVS.

AVLVS PERSIVS Flaccus Eques Romanus Volaterris natus carmine Satyrico ita inclaruit, vt in Musarum contubernio receptus, Romana hedera caput redimiri sit meritus. Maximum gloriæ præmium, quamuis vno libro consecutus est. Quare de ipso Martialis.

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Floruit sub Claudio, & Nerone Principibus, summus Horatianæ Satyræ imitator, ac omnium, qui post ipsum in eo genere se exercuerunt, cum Iunio Iuuenale pari fama illustrissimus. Tabulam marmoream cum Persij imagine, ex qua hanc nostram ducimus, primò in Iacobi Sadoleti Cardinalis Bibliotheca, inde in Fuluij Vrsini Musæo visebatur, qui eam in suis Virorum Illustrium Imaginibus recensuit. Idem Sadoletus homo omnium suæ ætatis eruditione, ac doctrina clarissimus, sibi persuasum habuit, vt refert Faber, hanc esse Persij effigiem, cùm propter hederam, qua Satyrici Poëtæ coronari solebant, tùm propter Cornuti, seu Probi de eodem testimonium, eius modestiam, pudoremque exprimentem. *Fuit enim Persius moribus leniſſimis, ac virginali quadam verecundia, formaque modesta, ac pulchra.*

PINDARVS.

PINDARVM aureà citharà sonantem, nouem totius Græciæ præstantissimorum Lyricorum longè Principem Regio capitis decore vniuersus Parnassi chorus, suusque Apollo coronat. Spiritus magnificentia, & beatissima rerum, verborumque copia, teste Quintiliano, admirandum, propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. Fama tenet, Pana Deum illum Pastorum, saltando, chorumque ducendo in montibus, passim decantasse hymnum, quem in eius gloriam Pindarus conscripserat, Apollinique in delicijs fuisse, partemque immolationum ab ipso accepisse. Quare Sacerdos tanquam diuinitatis compotem in sacrificijs palam inclamando, Pindarum ad cænam Dei vocabat. Eiusdem Vatis ex Marmore caput, quod olim in Herma extabat, ex Iustinianis Aedibus, primus in sua Ichnographia edidit Ioannes Angelus Caninius Pictor Antiquitatum studiosus, ac delineandi arte peritissimus.

PIN-

PINDARVS.

PINDARI ſtatua marmorea, cui temporis ictu caput auulſum eſt, ſuper baſi ſtat, adſcripto nomine ΠΙΝΔΑΡΟC. Lyram ſeu Barbiton, ſeu quid aliud vtraque manu tenet, quod vetuſtate diſruptum, non ſatis intelligi poteſt. Ob Pindari præſtantiam plurimos ei dicatos fuiſſe Hermas, & Statuas in Bibliothecis, ac Gymnaſijs credibile eſt: æream verò ipſius ſedentis, habentiſque lyram; & diadema, ac in genibus complicatum libellum refert Aeſchines in Epiſtolis.

POSIDIPPVS.

POSIDIPPVS CINISCI Filius Caſſandriæ in Macedonia natus, â Menandri exceſſu in noua Comœdia Princeps eſt habitus. Ipſum Agelius recenſet inter celebres Comicos Græcos, ex quibus in Latium Romani fabulas vertebant: *Comœdias lectitamus noſtrorum Poëtarum ſumptas, ac verſas de Græcis Menandro, ac Poſſidio, aut Apollodoro, aut Alexide, aut quibuſdam item alijs Comicis*. Lilius Giraldus de Poëtarum Hiſtoria, vt notat Voſſius, pro *Poſſidio* legendum, *Poſſidonio* aduertit, qui Menandro ſubiungitur. Apud Suidam verò Poſidippus memoratur, qui xxx. fabulas reliquit. Alius ab hoc Poſidippus floruit Epigrammatum ſcriptor, quem citant Athenæus, Scholiaſtes Apollonij, & Stobeus à Voſſio relati. Eius ſtatua marmorea Romæ extat in Hortis Montaltis, nunc Eminentiſs. Principis Cardinalis Pauli Sabelli, in cuius baſi legitur ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ Poſidippus.

PYTHEVS.

PYTHEI ſedentis volumenque carminum tenentis Imaginem Colophonij in Nummis ſuis expreſſerunt, adſcripto nomine ΠΥΘΕΟC, quem celebrem fuiſſe Poëtam indicat Muſa cum muſico inſtrumento in aduerſo nummi latere ſignata. Iidemque Colophonij complures alios inſignes Vates, atque apprimè Homerum ſibi vindicarunt. Alius in Teſei vita Pytheus memoratur à Plutarcho Trœzeniorum Princeps, doctrina ac ſententijs illuſtris, cuius ſapien-

pientiam ſecutus eſt Heſiodus. Pythei nummus, in eius honorem à Colophonijs percuſſus, extabat olim apud Fuluium Vrſinum.

SAPPHO.

SAPPHO POETRIA Mytilenes nata inter Lyrici Carminis Græciæ nona, quin inter nouem Muſas decima in illo veteri epigrammate adnumeratur.

Nona nec eſt inter Sappho Lyricoſque, viroſque,
Sed numerum Muſis auget, & hæc decima.

Plectrum fuiſſe Sapphonis inuentum, & Sapphicum quoque metrum ab ipſa denominatum fertur; immò & Ariſtoxenus harmoniam Mixolydij ab ipſa repertum ſcribit. Claruit Olympiade XLII. quo tempore Alcæus Lyricus & ipſe Mytilenæus floruit. Cum Sappho è Leucade in mare ſe præcipitaſſet, ſubmerſa perijt, atque in eius memoriam, imaginem nummis ſuis Mytilenenſes inſculpſerunt, vt Ariſtoteles, & Pollux meminere. Vnus ex his nummis argenteis ex Cardinalis Farneſij Bibliotheca in hac tabula expreſſus eſt, qui ab vno latere eius vultum exprimit, ab alio Sepiam Piſcem cum litteris ΜΥΤΙΛ *Mytilenęorum*. Herma verò, quem inſcripto nomine ΣΑΠΦΩ ΕΡΕΣΙΑ ſimul exhibemus, ex Pyrrhi Ligorij V. C. ac de Antiquitate meritiſſimi Schedis in Bibliotheca Vaticana adſeruatis depromptus eſt.

SOPHOCLES.

INTER OMNES ſublimior in pretio eſt Sophoclis grauitas, & cothurnus. Quanti eum fecerit Maro, ſatis illo indicatur elogio ad Auguſtum.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Quin eum diuinum Poëtam vocat Cicero. Claruit cum Euripide Olympiade LXXVII. cum quo ſimul Tragœdiam ab Aeſchilo traditam omnibus numeris abſoluit. Hæc Sophoclis imago in marmoreo clypeo ſculpta extabat apud Fuluium, in cuius inferiori ambitu inſcriptum eſt nomen ΣΟΦΟΚΛΗΣ. In eiuſdem verò clypei aduerſo latere Menandri Comici effigies cernebatur; hic Comœdiæ, ille Tragœdiæ Princeps, vt in Menandro adnotauimus. Ad nonageſimum quintum ætatis annum peruenisſe Sophoclem ſcribunt, quibus exactis mortuus eſt infelici ſucceſſu, cum vuæ acinus eius fauces, ac ſpiritum intercluſiſſet.

TERENTIVS.

PVBLIVS TERENTIVS AFER, cuius argutis tibijs Thalia resonat nomen, non solum è seruitute carminum præsidio manumissus, ac libertate donatus est; verùm etiam Scipionem illum, qui Africa deuicta Africani cognomen meruit, amicitia sibi arctissimè iunxit. Andriam primam è suis Comœdiam iussu Aedilium ante Carionem in lectulo cœnantem recitare aggressus, quòd contemptiore vestitu esset, humili subsellio resedit; at dicendo probatus, statim à Carione inuitatus est, vt secum accumberet, atque vnà cœnaret. A Scipione ipso, ac Lælio se in suis Comœdijs scribendis adiutum ipse fatetur; quamobrem eius stylus summa arte, ac puritate nitens, pedestris Comœdiæ oratione superior habetur; factumque est, vt quantum optimo dicendi genere Terentius Plauto præcedit, eò magis Plautus facetijs, & salibus Terentio anteponatur. Hic post editas suas Comœdias, cuitandę reprehensionis causa, quòd Menandri, & Apollodori alienas fabulas edidisset, ab Vrbe discedens, centum & octo Satyras, & fabulas ex ingenio composuit, quibus rediens Romam naufragio amissis, dolore, ac tædio perijt.

THEOCRITVS.

THEOCRITVS SYRACVSIVS patriam habuit Trinacriam Bucolici carminis parentem; ipse verò in hoc Poëmatis genere omnium Princeps, adeò præ cæteris excelluit, vt sua Eidilia Eclogarum nomine Virgilius sit imitatus. Venustissimus, ac iucundissimus cantor, quamuis humiles, ac pressas ad fistulam modulatus sit Pastorum, & Agricolarum cantilenas, & colloquia, in quibus etiam grandiori sono sublimiores res & personas repræsentat. Eius caput folijs pineis coronatur, vel quòd Pinus arbor sacra sit Pani Pastorum Deo, cui & ipse Theocritus sua Eidilia sacrauit; vel quòd in certaminibus de Moscho, & Bione suis conterraneis Bucolico carmine victoriam retulerit. Viguit sub vtroque Ptolemæo, Lagide, ac Philadelpho, eiusque imago in Clypeo marmoreo sculpta extabat in Fuluij Vrsini Bibliotheca.

VIRGILIVS.

MAGNI IOVIS FILIAE, quæ semper virentis Heliconis montem incolitis, vos edite cantus, ducite choreas, dum nostro Parnasso rediuiuus se

Palam

palam exhibet alumnus ille veſter, diuinus ille Maro, qui per Auſonias oras Troiani Herois ſuſcitans arma, prępetibus pennis æthera conſcendit, ingentique ſono ipſum pulſat Olympum. Vix Aeneidos diuini poëmatis carmen dicere aggreſso, adeò volucris prænuntia euolauit fama, adeò clarum eius nomen affulſit, vt Homericæ lampadi claritatem ademerit. Quamobrem fatidico plaudere cantu ad hos numeros non veritus eſt Propertius.

Cedite Romani Scriptores, cedite Graij.
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Hanc Virgilij imaginem cum larua alata ſuper menſa exhibuit Faber ex æreo Fuluij Vrſini nummo, penes quem alia extabat in Amethiſto: aliaſque duas, alteram in corniola, alteram in marmorea tabella deſcribit idem Faber. Ad quas confirmandas, & aliam prorſus ſimilem, at ſine larua, ex vetuſto Codice Auguſtæ Vindelicorum, vt in ſubſcripto inibi titulo delineatam affirmamus.

VIRGILIVS.

VIRGILII SEDENTIS imaginem ex antiqua Gemma Petri Stephanonij deſumpſimus. Dicenti ſimilis manum è pallio exerit. Quòd ſi ipſi in theatro heroicum canenti Martis Populus venerabundus aſſurrexit, nunc ampliſſimo omnium gentium ſpectaculo eius reſonantes Camœnras Orbis vniuerſus veneratur.

TRAGOEDVS ſiue COMOEDVS.

TRAGOEDVS ſiue COMOEDVS, ſiue quis alius Vates in Proſcenio, aut Orcheſtra ſpectatus, brachium dicentis geſtu protendit, volumenque carminum manu tenet: quo habitu in vetuſtis marmoribus non ſemel Poëtas cum Muſarum choro appictos conſpicimus, vt ij qui publicè ſua poëmata pronunciaſſent, ac de corona contendiſſent, monumenta relinquerent. Etenim non Græci tantum quatuor magnis illis certaminibus, ſed & Latini ſuis Ludricis Quinquennalibus, Capitolinis, Quinquatrijs, alijſque decertabant, in quibus Poetæ apprimè in theatro omne genus carminum ad æmulationem recitabant. Sic Euripides in Tragicis cum Sopocle, in Comicis cum Philemone Menander.

Victoriæ præmia in noſtro marmore oſtendunt vaſa duo, ac patera vna ſuper abaco, aut armario encarpiis lauro contextis exornato; nam in ſacris certaminibus non palmæ, & coronæ tantum, ſed crateres, & phialæ, & pocula victoribus proponebantur. Initium huius moris ſumptum in Bucolicis diſcimus

ſcimus ex Theocrito, ac Virgilio, apud quem Menalcas de cantu cum Dameta contendens, poculum ponit fagineum *diuini opus Alcimedontis*. Crateres etiam, phialas, & pocula, prima & ſecunda præmia à Baccho fuiſſe conſtituta in funere Opheltis refert Nonnus in Dionyſiacis. Huius Græcanici moris Romanis ludis exemplar teſtatur Neronis nummus de ſacris Certaminibus à ſe Romæ conſtitutis, in quo exhibetur menſa phialam, ſeu craterem, & coronam ſuſtinens cum epigraphe CERTA. S. QVINQ. ROM. CO. *Certamina ſacra quinquennalia Romæ condita*. Cum autem Nero Muſicæ, ac Poëticæ in ſcenâ gloriam ſibi auſpicaretur, præter coronam, aureum craterem propoſuit, qui in menſa depictus eſt. Crater verò in noſtra tabula expreſſus ex Cymbiæ forma Cymbium eſſe videtur; nam inter varias Cymbiorum deſcriptiones Athænæus ex Didymo Grammatico Cymbium refert vas eſſe oblongum, forma anguſtum, & naui ſimillimum ab hoc non admodùm differens.

Præterea in noſtra tabula appoſitus eſt virgæ titulus, & volumen, in quo Auctoris, & fabulæ nomen inſcribebatur, quò attentior eſſet populus ad ſpectandum; nam, vt aduertit Scaliger Poëtices primo, titulus non pronunciabatur tantùm ab eo, qui modos faciebat, ſed etiam proponebatur in Proſcenio argumentum ſub titulo grandioribus litteris deſcriptum.

E conſpectu verò huius Poëtæ ſtantis, alter ante menſam ſedet, nudata ſuperiori corporis parte, pallioque ad crura demiſſo, manu tenens laruam è menſa detractam, quam intuetur. Super menſa poſitæ ſunt aliæ duæ laruæ cum faſcia, ſeu volumine. Ad hunc Comœdum ſic laruam intuentem facit Plinij locus de Marco Ofilio Hilaro Comœdiarum Hiſtrione, qui cum populo admodùm placuiſſet, die natali ſuo, conuiuio exhibito, perſonam eo die vſurpatam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, talique habitu rigens, nullo ſentiente, expirauit. Tanto in honore Hiſtrionibus fuere perſonæ vt theatralis applauſus gloriam illis quaſi acceptam referrent. Primam laruam barbâ atque hiâtu & ſupercilio grauem ad Hiſtriones Comicos pertire comperimus ex alijs, quæ expreſſæ ſunt in antiquo Terentij Vaticano Codice, quarum exemplar exhibuimus in ipſius Terentij imagine. Secunda larua radiatâ coronâ inſignis, Tragœdiæ propria eſſe videtur, vt diſcimus ex Polluce de Veſtibus Tragicis & Comicis: *Tiara, vitta, redimiculum, mitra*. Noſter verò Poëta in Orcheſtra ſeminudus, & abſque ſtola depictus eſt, demiſſo ad crura pallio more Græcorum, qua nuditate non ſolum Antiſthenem, & Cynicos detecto pectore conſpicimus, ſed etiam preclaros Philoſophos, Oratores ac Poëtas; Pythagoram, Demoſthenem, Euripidem, Moſchionem, alioſque. Virga etiam humi abiecta eſt, quam ad Comicas perſonas, pertinuiſſe conſtat.

IMAGINES
VETERVM ILLVSTRIVM
RHETORVM AC ORATORVM

PARS TERTIA

Romæ apud Jo: Jacobum de Rubeis
Ad Templum Sta Mariæ de Pace
cum priuilegio Summi Puntificis
Anno MDCLXXXV



AESCHINES

Ob gratiam, ac uenustatem Sermonis Gratys suas orationes inscripsit

Apud Magnum Etruriæ Ducem in marmore

ARISTIDES

Roma tuum nomen totum licet impleat Orbem
Maius Ariſtidis ſit tamen eloquio

In Bibliotheca Vaticana 72.

ASPASIA PERICLIS

SIVE PALLAS DEA

Apud D. D. Rondaninos in Iaspide



CAESAR

Summus Imperator, summus Orator

ex Numismate in Thesauro Christinæ Reginæ

74.



CATO MAIOR COGNOMENO CENSORIVS

Rudioris tantùm sæculi sui uetustate secundus, cæterùm eloquentiâ primus

Ex Dactyliotheca Fuluij Vrsini in gemma

75.



Ex Bibliotheca Fulvij Vrsini in marmore

ROMANI MAXIMVS AVCTOR TVLLIVS ELOQVII

in Hortis Matthæis

77.

CICERO
Ex antiquo Cammeo siue Onyce

In Thesauro Reginæ Christinæ Augustæ



DEMOSTHENES

Ex Ciceronis Sententiâ Oratorum Græcorum omnium facilè princeps

Marmor Tarraconæ inuentum


M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRECVS
M. METTIVS GERMANVS FEC.
Apud Balthasarem Albertonium in marmore 80.

HERODOTVS

Herodote tuis dant scriptis nomina Musæ:
Tuque doces Musas dulcius ore loqui.

Ex Bibliothecâ Fuluij Vrsini in marmore



ISOCRATES

Suaui eloquio Græca Siren

Apud Magnum Etruriæ Ducem in marmore

82.

LEODAMAS

Insignis Rhetor Aeschinis præceptor

Apud Cardinalem Cæsium



LYSIAS
Atticâ Venustate facundus
Apud Cardinalem Farnesium in marmore

84.



PHOCION ATHENIENSIS

Dux summus, summus Orator.

85.

Cinguli apud D. Antonium Mariam Castiglionum



CRISPVS SALLVSTIVS

Crispus Romanâ primus in historiâ

In Thesauro Christinæ Reginæ *Aug.*

M·IVNIO·M· F· PAL· RVFO
SOTERICHVS·PAEDAGOG FECIT
HAE·SVNT·PRIMAE·TVAE·MEAEQ·SEDES
HAEC CERTA EST· DOMVS·HAEC·COLENDA·NOBIS
HAEC EST·QVAM· MIHI· SVSCITAVI· VIVVS



T. LIVIVS PATAVINVS

felix Populus Romanus, qui rerum à se gestarum
præconem LIVIVM *habuit*

88.

Patauij in T. LIVII *Mausoleo*

THVCYDIDES

Secundus post Herodotum historiæ Scriptor, ueritate primus

Apud Fulvium Vrsinum in marmore

89.

ΗΛΙΚΙΗΝ ΠΑΙϹ ΕΙΜΙ ΒΡΕΤΑΣ Δ ΕϹΤΗϹΑΤΟ
ΦΗΛΙΣ
ΗΡΑΚΛΕΟΥϹ ΕΙΚΩ ΟΙϹΘΑΜΕ
ΚΑΙ ΠΡΟΔΙΚΟΥ

IN IMAGINES VETERVM ILLVSTRIVM RHETORVM, AC ORATORVM *EXPOSITIONES.*

AESCHINES.

AESCHINES ATROMITI filius Athenienſis Orator emulatione Demoſthenis, ac inſigni, qua pollebat eloquentia, Athenis, & in vniuerſa Græcia celebritate nominis clariſſimus euaſit. Gratijs ſacrificans tres ſuas Orationes ipſis numero pares, Charites nuncupatas, dicauit. Poſt ipſum Demoſthenem, primas in dicendo tulit; Demoſthenes denſus, ac ſtrictus plus lacertorum; Aeſchines plenior, ac magis fuſus plus carnis habet, teſte Quintiliano. Rhodi exul tertium genus Orationis Rhodium adinuenit, non adeò preſſum, atque integrum, quale Atticum, neque adeò inflatum vt Aſiaticum. Aeſchinis Herma cum eius capite è Tiburtinæ Villæ Hadriani ruinis effoſsus, inſcripto nomine ΑΙΣΧΙΝΗΣ ΑΤΡΟΜΙΤΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ *Aeſchines Atromiti Athenienſis*, ad Cardinalis Farneſij Bibliothecam exornandam fuit tranſlatus cum alijs Illuſtrium Hermis.

ARISTIDES.

EN ARISTIDES ille Orator, qui cum egregia Oratione Romanam Ciuitatem exornaſſet, Vrbis Romæ laudator, Romanique nominis vindex eſt habitus. Veterum Oratorum Iſocratis, Demoſthenis, Thucydidis, aliorumque virtutes complexus; Princeps Græcorum ſui temporis dici meruit. Apud Marcum Aurelium Antoninum, ob excellentem eloquentiam, ac doctrinam, tantùm gratiâ valuit, vt optimus Imperator ab ipſo admonitus de Smyrnæ Vrbis clade, terræmotibus abſumptæ, ac deletæ, vix ſe temperauerit

à lacrymis, Ephesique concilio habito, Smyrnam instaurari iusserit. Quare Smyrnæi Aristidi publicam in Gymnasio, tanquam Vrbis conditori, statuam posuere. Aliud simulacrum marmoreum eiusdem Aristidis in Bibliotheca Vaticana adseruatur, inscripto basi nomine. ΑΡΙΣΤΙΔΗΣ ΣΜΥΡΝΕΟΣ. *Aristides Smyrnæus*, quod erutum fuisse ex antiquis Vrbis ruinis, & à Pio IV. Pontifice Maximo in eadem Bibliotheca honorificentissimè positum indicat sequens inscriptio in subiecta basi incisa.

STATVAM
ARISTIDIS SMYRNAEI
EIVS QVI
VRBEM CIVITATEMQVE ROMANAM
LVCVLENTA ORATIONE LAVDAVIT
ERVTAM EX ANTIQVIS RVINIS
PIVS IIII. MEDIC. PONT. MAX.
POSVIT.

Ab hac similitudinem nostræ Imaginis duximus. Quamuis autem Aristides patria Smyrnæus inscriptus sit, Hadrianu tamen, siue Hadrianotheris in Mœsia, patre Eudæmone natum asserit Philostratus in eius Vita. Smyrnæus verò dictus creditur, nempe Smyrnæa ciuitate donatus, ob beneficium Vrbis Smyrnæ à se, vt diximus, restitutæ.

ASPASIA.

ΑΣΠΑCΟΥ. Aspasiam illam Milesiam cùm formâ, & amatorijs artibus, tùm Philosophiâ, & eloquentiâ nobilem in hac imagine repræsentari existimant, ipsamque in sua Ichnographia Caninius produxit. Quamobrem & nos prętermittere noluimus, quin hìc inter disertos Oratores eam recolamus. Cum Aspasia Athenis moraretur, tanta enituit sapientiæ famâ, vt ad ipsam audiendam Socrates accederet, eiusque discipulum se profiteretur, vt in Menexeno Plato. Non immeritò igitur formosa, Socratica, & eloquentiæ magistra appellatur ab Athenæo, & Suida. Quin & Periclem illum Athenienſium ducem, à quo feruentissimè diligebatur, erudijsse dicitur; ideoque per ingenuas artes illustrem Palladis ritu casside, atque Aegide, tanquam sapientiæ insignijs armatam exornatamque facilè crediderim. Imago deprompta est ex veteri gemmà anulari Iaspide in Dactyliotheca supralaudatæ Feliciæ Rondaninæ.

CAE-

C AE S A R.

CAIVS IVLIVS CAESAR, cuius laurea non minus Romanum Imperium, quàm Latium eloquium coronat, tanta dicendi vi, acumine, & concitatione insurrexit, vt ipsum eodem animo dixisse, quo bellauit, affirmet Quintilianus. Consimili elogio Cæsarem laudat Suetonius iis verbis *eloquentia militarique re aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit*. Sic ei non tantùm armorum, sed & eloquentiæ adoream cuncti tribuunt, ac præcipuè Atticus in Bruto: *De Cæsare & ipse ita iudico, & de hoc huius generis acerrimo æstimatore sæpissimè audio, illum ferè omnium Oratorum latinè loqui elegantissimè*. Cicero ipse ad Cornelium Nepotem: *Quid Oratorum? quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententijs aut acutior, aut acerbior? Quis verborum ornatior, aut elegantior?* Et in libro 3. de Oratore: *Nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè singulare*. Et sequitur idem Atticus: *vt esset perfecta illa benè loquendi laus, multis literis, & ijs quidem reconditis, & exquisitis est consecutus*. Quod mirum sanè est in homine tot, tantisque ciuilium, externorumque bellorum, ac Reipublicæ occupationibus implicito, atque distento: *Scribere, & legere simul, dictare, & audire solitum*, memorat Plinius; *Epistolas verò quaternas pariter librarijs dictare, aut si nihil ageret, septenas*. De eius verò Commentarijs Hirtius: *Adeò probantur omnium iudicio, vt prærepta, non præbita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior nostra, quàm reliquorum est admiratio. Cæteri enim quàm benè, atque emendatè, nos etiam quàm facilè, atque celeriter eos perscripserit, scimus*. Præter verò de Bello Gallico Commentariorum libros vij. ac de Bello Pompeiano tres, remanent solummodò Epistolarum, ac Orationum fragmenta, item fragmenta Anticatonis, ac librorum de Analogia, Apophthegmatum, Auspiciorum, de syderum motu, Auguralium, Ephemeridum, ac Poëmatum à Fuluio Vrsino collecta, de quibus Suetonius in eius vita. Quamobrem tanti viri quis non admiretur diuinum potiùs, quàm humanum animum? Ac iuremeritò Plinius ad ipsum Cæsarem conuersus: *Salue primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, & facundiæ, latiarumque literarum parens: atque (vt Dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanta plus est ingenij Romani terminos in tantum promouisse, quàm Imperij*. Meritò igitur Patriæ literarumque parens, & columen dicitur Cæsar, qui Marij, ac Syllæ

pessi-

peſſimourmque ciuium factionibus feſſam labantemq; Rempublicam ſuo gremio fouit, æternumque fundauit Imperium.

CATO MAIOR.

MARCVS PORCIVS CATO, cognomento Cenſorius, ſapiens, & ſæculi ſui Romanus Demoſthenes appellatus eſt. Eius gloriæ nulla obfuit vmbra niſi nimia vetuſtas, vt Oratorum principatum obtineret. Quare à Cicerone de claris Oratoribus libro ſummis elogijs exornatur: *At quem virum Dij boni? mitto ciuem, aut Senatorem, aut Imperatorem (Oratorem enim hoc loco quærimus) quis illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententijs argutior? in dicendo, ediſſerendoque ſubtilior?* Hadrianus Imp. vetuſtatis ſtudioſus Ciceronem ipſum Catoni poſthabuit, Spartiano teſte in eius vita: *Amauit genus dicendi vetuſtum, controuerſias declamauit; Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtium Cœlio prætulit.* Catonis imaginem expreſſit Faber ex gemma Onice anulari, ex qua hanc noſtram habuimus, alteramque ſimilem extitiſſe aſſerit apud Fuluium Vrſinum in Corniola, & vtramque Catonis longæuam ætatem ad LXXXV. aut XC. annos, quibus ipſe vixit, exprimentem.

CATONIS HERMA.

CATONIS HERMA ſine capite, eius nomen inſcriptum præfert. M. PORCIVS M.F. CATO CENSORIVS. In eius memoriam poſitus fuit à Romanis more Græcorum, ad quorum imitationem & ipſi Illuſtrium Virorum Hermas in ſuis Gymnaſijs, & Bibliothecis collocabant. Refert Plutarchus in ipſius Catonis vita Romanos in Hygię, ſiue Sanitatis templo illi ſtatuam dicaſſe, nullis honorum nominibus inſignitam, ſed hoc tantùm titulo: *Cato Cenſor optimus moribus Vrbem in antiquam formam reſtituit.* Nummus, qui ſupra Hermam expreſſus eſt, ab vno latere caput muliebre cum litteris M.CATO.ROM. ab alio prefert Victoriam ſedentem: VICTRIX. Hic nummus non ad noſtrum Cenſorium, ſed potiùs ad Catonem ipſius Pronepotem pertinet, eundemque patrem illius, qui Vticæ bello ciuili ſibi manus intulit, de quo ſic Velleius: *Hic genitus proauo Marco Catone Principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Dijs quàm hominibus propior.* Cætera ex Fuluio Vrſino in familia Porcia.

CICE-

CICERO.

SE NOBIS SPECTANDVM præbet Tullius, Romanus Demosthenes, cuius eloquio Athenæ ipsæ Mineruæ arx, & domicilium obstupuere, maiusque nihil Romulidum aures impleuit. Illius vultum aspice, in quem vnum Roma, ac Senatus vniuersus vita & libertate donatus, oculos, oraque conuertit sapientissimum, ac prouidentissimum Consulem, Patremque Patriæ admiratus. Antiqua, & affabrè sculpta Ciceronis imago, ad cuius similitudinem hanc nostram adumbrauimus in Matthæijs Cœlianis Hortis visitur prouectà ætate, perampla fronte, naso subaquilino, barbaque erasa, iuxta sui sæculi morem, nec sine quadam oris hilaritate, quam pluries & ipse in suis Epistolis indicat. Vultus cum pectore suæ basi ex vno eodemque marmore hærct, inciso nomine CICERO vetustis sanè literis, quæ probant eius ætatem.

CICERO.

PRAE CAETERIS CICERONIS imaginibus nobile Antiquitatis, artisque decus nitet in vetustâ gemmâ Onyce, Italis *Cameo*, quæ ipsius Oratorum Principis vultum præfert anaglyphico opere elegantissimè sculptum, cuius delineationem hìc damus. Gemma ipsa olim in Dactyliotheca Camilli Maximi Cardinalis, nunc in thesauro Reginæ Christinæ Augustæ, pulchritudine, ac Ciceronis aspectu, oculos in admirationem trahit; Imago verò similis est alteri marmoreæ in antecedenti exhibitæ, sed aliquantò gracilior, quemadmodum Cicero à Plutarcho macer corpore, atque haud satis firmæ habitudinis describitur. Huic insigni gemmæ nummum addimus in Tullia Familia à Fuluio Vrsino editum, cuius in altero latere caput Romæ signatum est, in altero quadrigæ aurigante Victoria cum literis M. TVLLI. At quamuis tutò diuinare non liceat, ad quam ex plurimis Tulliæ Gentis Familijs hic nummus pertineat, tamen, ad Marcum Tullium Ciceronem, & fortasse ad triumphum, ob res in Cilicia ab ipso benè gestas, referri posse idem Fuluius existimat. Alter Græcus Nummus memoratur à Ioanne Fabro, à Magnetibus sub Q. fratris imperio in honorem M. Tullij Ciceronis percussus pro magnis, vt ipse inquit, suis meritis. In anticâ eius caput exculptum

ptum eſt, cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ. In poſticâ manus coronam tenens, item ramus Oleæ, Spica triticea, & palmes vitis cum racemo, Regionis inſignia viſuntur, cum Epigraphe ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ *Magnetum ab Sypylo*.

DEMOSTHENES.

ATHENAE ILLAE inclytæ, eloquentiæ, atque omnium doctrinarum Magiſtræ, inter eius admiranda vno Demoſthene nihil pulchrius' habuiſſe dicuntur exteris ſpectandum. Adeò enim in arte dicendi præſtitit, cunctas ſolus Oratorias virtutes complexus, vt vel Ciceronis ſententiâ, Græcorum Oratorum Princeps ſit habendus. Philippum atque Alexandrum Macedonum Reges pro libertate patriæ eloquentię telis inſectatus, maximam laudem eſt conſecutus, ſed Antipatri conatibus in ſummum periculum actus, venenum hauſit, & interijt. Eidem verò mortuo Athenienſes ſtatuam poſuerunt cum elogio.

Si magni vires animos Demoſthenis æquet
Græcia non Macedûm Marte ſubacta foret.

Imago Demoſthenis ſculpta eſt in Clypeo Tarracone effoſſo, cuius delineationem Antonius Auguſtinus Fuluio Vrſino miſit; quamuis anceps an Demoſtheni Athenienſium bello Peloponneſiaco Duci, an Oratori tribuenda ſit. Sed non videmus, cur potius Athenienſium Dux, quàm eloquentiæ Princeps Tarracone Romanâ Coloniâ Togatâ, ſtudijs, artibuſque ingenuis inclytâ ſit habendus. Sophoclis, & Menandri in clypeis dicatas imagines ſuprà recenſuimus; nec ſemel vidimus, Philoſophos, Poëtas, atque Oratores pallio detectos, ac ſeminudos. In Clypeo ipſo adſcriptum eſt nomen ΔΗΜΟCΘΕΝΗC.

EPAPHRODITVS.

M. METTIVS EPAPHRODITVS, vt ex inſcriptione diſcimus, fuit Grammaticus Græcus, ita excellens vt ſtatuam meruerit, quam ei dicaſſe M. Mettium Grammaticum in baſi legitur:

M. MET-

M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRAECVS
M. METTIVS GERMANVS. FEC.

Fuiſſe libertum M.Mettij eius, qui temporibus C. Cæſaris Dictatoris floruit, vel potius alicuius filiorum autumat Faber, cum ſcribat Suidas Epaphroditum ex patria Chæronea Romam veniſſe,ibique Impp.Nerone, & Nerua floruiſſe. Librum,ſeu volumen,quod manu tenet,de aliquo opere Grammatico ſcriptum credibile eſt, fortaſſe id ipſum, vt idem Faber, quod vetus Commentator Theocriti titulo περὶ στοιχείων: *De Elementis*, etſi ſcribat Suidas Mettium hunc valde deditum fuiſſe libris varijs colligendis, eorumque copiam magnam poſſediſſe. Antiquum ex marmore ſimulacrum extat in Aedibus olim Eq. Balthaſaris Palutij, nunc Excellentiſs. Principis D. Angeli De Alterijs.

HERODOTVS.

HERODOTVS HALICARNASSI nobili ex genere natus ſummâ fluit eloquij ſuauitate, ac iucunditate.Muſas nouem ipſius ore locutas ferunt, quibus & idem libros ſuos pares numero, ac nomine inſcripſit.

Herodòte tuis dant ſcriptis nomina Muſæ,
Tuque doces Muſas dulciùs ore loqui.

Hiſtoriæ pater, Primus, ac Princeps vetuſtate, & cultu orationis, ſolus Homerico ſono proximus laudatur, res geſtas litterarum monumentis compoſitione, ac ſtylo altiùs extollens à Cyri ætate, qui primus Perſarum imperium tenuit, ad Xerſem ab Athenienſibus inſigni prælio ad Thermopylas victum. Quas laudes omnes ei tribuunt; etſi aliqui mendacij ipſum arguant, vt qui fabuloſas narrationes ſuæ hiſtoriæ inſerat. Cum author fuiſſet Lygdamis Herodotus expellendi Tyranni, ſuorum ciuium inuidiâ, abijt, & cum Athenienſium Colonia Thurium Italiæ Vrbem profectus, ibi vitam finijt. Eius Herma olim extabat in Fuluij Vrſini Bibliothecà.

ISOCRATES.

ISOCRATIS SEPVLCRO canentem Sirenem appictam ferunt, ad oſtentandum eius dulciloquum ſermonem, atque vim, & ſuauitatem orationis, cuius admirator, & imitator fuit Demoſthenes. Iſocrates apud Græcos, & Barbaros cunctos excelluit facundiæ, ac ſapientiæ fama; Athenis verò Ephebos erudijt, qui ſummi euaſere, inter quos præſtantiſſimus Hyperides eius ſcholam ſectatus eſt. Quamobrem Cicero in Bruto: *Iſocrates, cuius Domus cunctæ Græciæ quaſi ludus patuit, nonne officina dicendi, magnus Orator & perfectus Magiſter?* Ornatu, & copia verborum, & ſententiarum, grandiloquo acceſſit carminum ſono. *Cum alios doceret*, inquit idem Cicero, *forenſi luce caruit Iſocrates, intràque parietes gloriam ſuam aluit, multa præclarè, cum cætera meliùs, quàm ſuperiores.* De huius vita, & dicendi genere Philoſtratus, præter ea, quæ Dionyſius Halicarnaſsèus, qui ipſum inter ſex Græciæ ſummos Oratores enumerat. Iſocratis Herma ſcriptum nomen prçfert ΙΣΟΚΡΑΤΗΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ *Iſocrates Theodori Athenienſis.* Effigies longiſſimam eius ætatem repræſentat, vt qui ad centum penè annos peruenisse memoratur. Ob eloquentiam in Olympia, Atheniſque ſtatuam conſecutus eſt, aliaque in Eleuſine eidem poſita fuit, à Leocare ſculpta, vt refert Pauſanias.

LEODAMAS.

NON VNA TANTVM Leodamantis eſt laus, quòd inſignis ætate ſua Rhetor fuerit, ſed egregiam quoque famam meretur, quòd Aeſchinis inter Græcorum præſtantiſſimos, Oratoris præceptor fuerit, vt à Plutarcho commendatur. Eius Herma ſpectabatur olim cum alijs admirandis Antiquitatis monumentis in Aedibus Cardinalis Cæſij. Tres primæ nominis literæ ΛΕΩ deſunt in marmore, temporis vi deletæ, ſed ipſas ſuppleuit antiqua Gemma viridis Diaſpri, in qua ſculpta erat eadem Leodamantis imago cum eius integro nomine ΛΕΩΔΑΜΑΣ. Addit Ioannes Faber, eidem imagini adſculptum fuiſſe iuuenis cuiuſdam caput, quod Aeſchinis eius diſcipuli fuiſſe ſuſpicabatur.

LYSIAS.

ATTICARVM ELEGANTIARVM Venere conſperſa Lyſiæ Oratio, ac prorſus auguſta habetur, in eaque vigor, ac puritas apprimè commendatur: quarè prædeceſſorum Oratorum, ac eorum, qui ſua ætate, florebant, excepto vno Demoſthene, gloriam obſcurauit. Hic eſt Lyſias, qui vocato in iudicium Socrati pulcherrimam orationem obtulit, vt ea, ſi vellet, in ſui defenſionem vteretur. Noluit verò Philoſophiæ parens captare Iudicum voluntatem mollibus verbis, perinde ac Sicyonijs calceis, qui quamuis habiles eſſent, Philoſophum tamen non decent. Duas proferimus Lyſiæ imagines: prima extabat apud Cardinalem Farneſium, pectori adſcripto nomine ΛΥΣΙΑΣ: ſecunda in marmoreo herma eodem nomine inſignitur ex Fuluij Vrſini Bibliotheca. His additur Herma ſine capite ex eodem Fuluio, quadratis litteris inſcriptus: ΛΥΣΙΑΣ ΚΕΦΑΛΑΙΟΣ *Lyſias Cephali filius*. Natus, eſt Athenis, vbi interijt annis LXXVI. vel vt alij ſcribunt, LXXXIII. expletis.

PHOCION.

DVM hæc ederemus nouum operi decus, ac antiquitati ornamentum, additur ex imagine Phocionis Athenienſis, cùm bellica vrtute, tùm eloquentiâ nobilis. Imago ipſa deprompta eſt ex antiquo Cammeo, ſiue Onyce gemmâ, quæ Cinguli Piceni Vrbis apud Nob. Virum, Iuriſque Conſultum, Antonium Mariam Caſtalionem adſeruatur. Exiguis admodum literis in ambitu nomen inſcriptum præfert: ΦΩΚΙΩΝ. Patrem Phocionis ſe ignoraſſe ſcribit Plutarchus; at Sophili filium, patriâ Athenienſem, eum fuiſſe teſtatur Herma ſine capite ex ſchedis Fuluij Vrſini ΦΩΚΙΩΝ ΣΟΦΙΛΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ *Phocion Sophili filius Athenienſis*. Cum verò ipſe ſapientia, atque animi dotibus excelleret, plurimùm gratia valuit apud Alexandrum, adeoque ſe temperauit à largitate fortunæ, vt aurum, vrbeſque ſibi à munificentiſſimo Rege oblatas reſpuerit. Sed publica Athenienſium dementia, vt cum Valerio Maximo loquar, huius optimi ciuis virtutes iniurijs rependens, ipſum ad fœuiſſimum vitæ exitum adegit. Nos vt Oratorum ſeriem adeò illuſtri vultu, ac nomine impleremus, hìc inter facundiſſimos Græcorum Phocionem repoſuimus. Etenim in ipſo tanta enituit eloquendi vis, & facultas, vt Demoſthenes, cæteris Oratoribus ſpretis, Phocionem ſibi obuerſan-

uerſantem, ſuorum ſermonum ſecurim appellaret. Ipſius dicta, factaque memorantur ab eodem Plutarcho, & Probo, atque à Valerio Maximo.

Sed pretium huius gemmæ, quæ Phocionis ſimilitudinem refert, augetur induſtria, ac celebritate artificis: Pyrgotelis ſcilicet, qui cum Phocione ipſo in Alexandri aulâ floruit, hac epigraphe ſub imagine adiuncta: ΠΥΡΓΟΤΕΛΗC ΕΠΟΙΗCΕ *Pyrgoteles fecit*. Cùm verò prototypum ipſius gemmæ oculis contemplari datum non fuerit, ſed ectypum tantùm in ſulphure haud ſatis expreſſum ſpectauerimus; huius admirandi artificis elegantiam probare, teſtarique non audemus.

SALLVSTIVS.

CAIVS CRISPVS SALLVSTIVS Rerum Romanarum florentiſſimus Scriptor (hoc enim præconio à Tacito exornatur) tot ingenij ſui laudatores habet, quot lectores. Eius Orationes in honorem Hiſtoriarum leguntur, quo præclaro teſtimonio ipſum effert Seneca Rhetor in ſuis Declamationibus. Cum locutio eius breuis ſit, ac neruoſa, magni illius Thucydidis æmulus habetur. Meruit porrò, vt de de ipſo caneret Martialis:

Hic erit, vt perhibent, doctorum corda virorum,
Criſpus Romana primus in hiſtoria.

Non deſunt tamen, qui Salluſtianam breuitatem obſcuritatis arguant. Aſinius Pollio, teſte Suetonio de claris Grammaticis, librum ſcripſit, in quo Salluſtij ſcripta reprehendit vt nimia verborum affectatione oblita. Seneca Philoſophus, *Salluſtio vigente* ait, *amputatæ ſententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obſcura breuitas fuere pro cultu*. Ex quo apparet arduam ſanè eſſe in ſtudijs omnes vnà ingenij virtutes colligere: at multò difficilius omnibus placere. Salluſtij imago petita eſt ex nummo maximo æneo ex ijs, quos vulgo contorniatos vocant, in Theſauro Inclytę Chriſtinę Reginæ cum inſcriptione: SALVSTIVS AVCTOR. Quem nummum percuſſum fuiſſe multo poſt Salluſtij ætatem, præter cælaturæ formam, patet ex vnica littera L. in eius nomine inciſa, cum eam ingeminent inſcriptiones omnes Salluſtio æquęuæ. Patet etiam ex titulo AVCTOR, cum ipſe Salluſtius in Proœmio Belli Catilinarij diſcrimen faciat inter Auctores, & Scriptores rerum, vt aduertit Faber: *At mihi quidem, tametſi haudquaquam par gloria ſequatur Scriptorem & Auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur, res geſtas ſcribere*. C. Criſpus Salluſtius natus eſt Amiterni in Sabinis; mortuus verò quadriennio ante bellum Attiacũ. Hortos habuit exculti ſſimos Romę in Quirinali, quorum magnificentia in ruderibus adhuc durat: ſed inter maximas diuitias ſuæ Pręturæ

Numi-

Numidicæ infamiam non effugit, quòd Prouinciam expilaſſet, atque ex præda ditatus redijſſet. Fertur etiam ipſum tanto ardore inſanijſſe in Libertinas quanto mœchus in Matronas.

SOTERICHVS PAEDAGOGVS.

In ſequenti Inſcriptione deeſſe duos primos verſus indicat Gruteriana, punctis notatos, in quorum ſecundo legitur tantùm : *MALA EST GRATIA.*

M. IVNIO . M. F. PAL. RVFO
SOTERICHVS . PAEDAGOG. FECIT
HAE . SVNT . PRIMAE . TVAE . MEAEQ. SEDES
HAEC CERTA EST. DOMVS. HAEC. COLENDA. NOBIS
HAEC EST . QVAM . MIHI . SVSCITAVI . VIVVS

SOTERICHVS, qui in marmore ſculptus eſt, Marco Iunio Rufo, ac ſibi ſedem, & domum, hoceſt ſepulchrale monumentum extruxit; nam in ſepulchris etiam habitare mortuos exiſtimabant. Soterichus verò ipſe Pædagogus, Præceptor, ſeù Literator in ſuperiori parte ſedet, & Grammaticis Inſtitutionibus puerum imbuit, qui vtraque manu, Pædagogo adiuuante, volumen tenet, inque illud oculos intentus defigit. Infrà librorum, vt videtur, puerilis capſula, ac tria inuoluta volumina poſita ſunt.

In inferiori parte ſculpta eſt Marci Iunij Rufi equeſtris imago tunicata, præeunte Signifero, ſeu milite, coronam haſtæ adligatam tenente, nam & ipſe Rufus coronatus incedit, fortè equo publico, & coronis, ob egregium in bello facinus, donatus.

Variat etiam lectio à Gruteriana.

Hæ ſunt primæ tuæ, meæque ſedes.
Hæ ſunt paruæ tuæ, meæque ſedes.

De Seruorum, ſeu Puerorum Domus Auguſtæ Pædagogo ſequens inſcriptio :

D. M.
T. FLAVIO . AVG . LIB. GANYMEDI
PAEDAGOGO . PVERORVM
CAES . N. FEC. VLPIA . HELPIS
CONIVGI . OPTIM . B. M. ET
LIB. LIBERTABVSQVE . SVIS

TITVS LIVIVS.

TITI LIVII memoriam recolimus, effigiem intuemur: illius nempè effigiem Liuij, ad quem vnum ſpectandum exteri è longinquis finibus, & è Gadibus vſque confluebant, eius facundiam, oriſque decus admirantes. Conſtat enim ipſius famâ permotos nobiles viros, quos ad ſui contemplationem Romana magnitudo non traxerat, Liuij tantùm videndi gratia, Romam contendiſſe, ſtatimque eo viſo abijſſe. Liuius porrò Populi Romani geſta ab V. C. ad Auguſtum, ſub quo floruit, immortali facundia, centum quadraginta libris complexus, immortalitate donauit; ſed huius tam egregij operis exigua portio ad nos peruenit. Tanta in eo laudatur eloquij vbertas, tantusque candor, & nitor, vt lacteus, & vberrimus eloquentiæ fons iure meritò appelletur. Ipſum cum Herodoto Græcorum Hiſtoricorum Principe non ſolum conferre, ſed & eidem æquare non eſt veritus Quintilianus. Quarto Imperij anno Tiberij Cæſaris Liuium vitâ exceſſiſſe, æt. LXXVI. ſcribit Euſebius; Oſſa verò eius Patauij ad Diuæ Iuſtinæ ædes anno MCCCCXIII. inuenta, poſtea ad Prætorium Vrbis, ſuccollantibus nobiliſſimis Ciuibus tranſlata, & condita fuere in mauſoleo inſcriptionibus, ſtatuis, atq; ipſius Liuij marmorea imagine illuſtri, ex qua hæc noſtra, quam exhibemus, delineata eſt; ipſamq; antiquiſſimam Patauini venerantur, vt in ſuo Liuio Iacobus Philippus Tomaſinus eruditiſſimus ſcriptor memorat.

THVCYDIDES.

TANTI FIEBAT THVCYDIDES à Demoſthene, vt eius Orationes omnes manu ſua eſcriberet. Multum verò fidei, ſi quiſpiam alius, ſcriptor hic meretur; nam egregiam in eo eluceſcere veritatis laudem omnes conſentiunt. Poloponneſiacum bellum litteris mandauit, quo tempore ipſe floruit, Primus poſt Herodotum Hiſtoriarum Auctor; nam ab vtriſque Hiſtoriã manaſſe perhibent. Denſus (inquit Quintilianus) & breuis, ſemper inſtans ſibi Thucydides; dulcis, & candidus, & fuſus Herodotus; ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior; ille concionibus, hic ſermonibus: ille vi, hic voluptate. Thucididis, Herma, à quo eius ſimilitudinem duximus, nomen inſcriptum refert ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ. Athenis in Cimonio, quòd ipſe à Cimone maternum genus duxerit, ſepultus fuiſſe traditur cum elogio.

AVCTARIVM
AD ILLVSTRIVM PHILOSOPHORVM IMAGINES.

IN Philoſophorum cœtum præclaros Medicos adlegimus, depictos in vetuſtiſſimo Dioſcoridiano Codice, cura, & liberalitate Iulianæ Anicię Imp. Flauij Anicij Olybrij filiæ, vt in ipſo legitur, exarato, nunc in Auguſtiſſimæ Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi adſeruato. Qui quidem inſignis Codex membranaceus in folio quadrato Conſtantinopoli Vindobonam tranſlatus, maiuſculis literis Gręcis deſcriptus eſt cum depictis Plantarum figuris, alijſq; præclaris imaginibus, quas inter in ſecundo, ac tertio eiuſdem folijs, picturâ quadratâ, aureum fundum habente, ad viuum expreſſi ſunt illuſtres Medici, & apprimè Chiron Medicinę inuentor, inter ſex nobiles alios medius & Princeps: ità & Dioſcorides, vt in duabus imaginibus antecedentibus. Has primus edidit Clariſs. atque vniuerſæ eruditionis, & doctrinæ cultu ornatiſſimus Petrus Lambecius Imp. Leopoldi I. Auguſti Conſiliarius, Hiſtoriographus, ac Bibliothecarius in ſuis de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi ampliſſimis Commentariis, ex quibus noſtras haſce ſequentes notulas per compendium exſcripſimus.

TABVLA I.

1 ΧΕΙΡΩΝ *Chiron* primo loco, & in medio ſedet, quem Plinius Herbariam, & Medicamentariam inueniſſe refert. Floruit ante æram Chriſtianam decimo tertio ſæculo, ac teſte Homero Achillis fuit præceptor, item Herculis, Iaſonis, Aeſculapij, aliorumque Heroum, qui expeditioni Argonautarum interfuere.

2 ΜΑΧΑΩΝ *Machaon* Aeſculapij filius à dextero Chironis latere ſedet, qui ſæculo ante æram Chriſtianam duodecimo in bello Troiano occubuit. Eum laudat Homerus quòd Chirurgicam excoluiſſet, atque optimè calleret.

3 ΠΑΜΦΙΛΟΣ *Pamphilus* ſub Machaone ſedet. Patriâ fuit Alexandrinus, profeſſione Grammaticus, quem Galenus in prœmio libri ſexti de ſimplicium medicamentorũ facultatibus teſtatur ſcripſiſſe Hiſtoriam herbarum

ordine alphabetico, eumque repreliendit, quòd illam abſque delectu ex alienis eraſerit ſcriptis, eidemque aniles fabulas, & ſuperſtitioſas præſtigias addiderit.

4 ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ *Xenocrates* ſub Pamphilo ſedet patriâ Alexandrinus, quẽ item Galenus in prœmio libri decimi de Simplicium Medicamentorum facultatibus teſtatur vixiſſe auorum ſuorum memoria, ſed eum arguit partim tanquam compoſitorem librorum ſuppoſitorum de Aegyptiacis, Babilonijs, alijſque herbarum monumentis, partim etiam velut præſtigijs deditum. A Plinio inter Medicos aliquoties citatur.

5 ΝΙΓΡΟΣ *Niger* prænomine Sextius à ſiniſtro Chironis latere ſedet, quem idem Plinius teſtatur, licèt Romanum, Grecè tamen ſcripſiſſe, eumque diligentiſſimum Medicinę auctorem nuncupat. Eiuſdem meminit Dioſcorides in Prœmio libri primi de Materia Medica.

6 ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ *Heraclides* Tarentinus Empiricus ſub Nigro ſedet, quem Galenus libro ſexto de Compoſitione Medicamentorum optimum Medicum, plurimorumque Pharmacorum expertum laudat, illique inter rei herbariæ Scriptores tertium locum poſt Dioſcoridem, & Nigrum tribuit. Eiuſdem meminere idem Dioſcorides, Cornelius, Celſus, Laërtius, Athenęus.

7 ΜΑΝΤΙΑΣ *Mantias* ſub Heraclide ſedet Herophili ſectator, ac eiuſdem Heraclidæ præceptor, de quo plura Galenus.

T A B V L A II.

1 ΓΑΛΗΝΟΣ *Galenus* primo loco, & in medio ſedet. Pergami ſub Imperatore Hadriano natus, ſeptuagenarius ſub Imp. Septimio Seuero obijt Hic relictis ſubtiliſſimis ingenij ſui, & indefeſſæ diligentiæ monumentis, etiam nunc adeò clarus eſt, vt ſatius ſit de eo tacere, quàm plura dicere.

2 ΚΡΑΤΕΥΑΣ *Crateuas* à dextero Galeni latere ſedet. Ob ſingularem rei herbariæ peritiam ὁ Ῥιζοτόμος Radicum ſector, ſiue Herbarius, laudatur ab Hippocrate in Epiſtola ad eum ſcriptâ. Honorificàm quoquè eiuſdem mentionem facit Dioſcorides, ac antiquus Græcus Theriacorum Nicandri Scholiaſtes, qui Herbarium ſuum citat.

3 ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ *Apollonius* ſub Crateua ſedet; cuius nominis licet multi fuerint Medici, hunc tamen Memphitam Lambecius arbitratur, qui citatur ab eodem antiquo Theriacorum Nicandri Scholiaſte in explicatione vocis ἄνωνις, quâ ſignificatur herba quędam ſuffitu ſuo ſerpentes abigens, eundemque eſſe, cuius Opus de herbis ab ipſo Scholiaſte aliquantò poſt citatur, quamuis ſine nomine Memphitæ.

1.

2. ΜΑΧΑΩΝ. *Machaon* ΧΕΙΡΩΝ. *Chiron* 5. ΝΙΓΡΟΣ. *Niger*.
3. ΠΑΜΦΙΛΟΣ. *Pamphilus*. 6. ΗΡΑΚΛΕΙΔΗΣ. *Heraclides*.
4. ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ. *Xenocrates*. 7. ΜΑΝΤΙΑΣ. *Mantias*.

Ex uetustissimo Codice Dioscoridiano Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. TAB. I.

2. ΚΡΑΤΕΥΑΣ. *Crateuas.* ΓΑΛΗΝΟΣ. *Galenus.* 5. ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ. *Dioscorides.*
3. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. *Apollonius.* 6. ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ. *Nicander.*
4. ΑΝΔΡΕΑΣ. *Andreas.* 7. ΡΟΥΦΟΣ. *Rufus.*

Ex uetustissimo Codice Dioscoridiano Bibliothecæ Cæsareæ Vindobon. TAB. II.

4 ΑΝΔΡΕΑΣ *Andreas* ſub Apollonio ſedet, quem Dioſcorides in prœmio libri quarti de materia Medica cum Crateua laudat ſupra reliquos Medicinæ Auctores Græcos in re herbaria verſatos. Eundem recenſet Cornelius Celſus in Præfatione libri quinti inter Auctores, qui multa de facultatibus Medicamentorum prodiderunt. Galenus autem in citato prœmio libri ſexti, & alibi vehementer eum increpat ab Hippocratis prudentia valde remotum, ac tanquam qui primus medicamentorum ſcientiam præſtigijs, & mendacijs corrumpere auſus ſit.

5 ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΔΗΣ *Dioſcorides* primus à ſiniſtro Galeni latere ſedet, ad noſtram ætatem celeberrimus, cuius extant quinque de Re Medica libri ab ipſo Galeno in citato Prœmio libri ſexti de ſimplicium Medicamentorum facultatibus ſummoperè laudati. Patria ei fuit Anazarba Cilicię, poſtea Cæſarea Auguſta. Exiſtimant alij ipſum ſub Nerone ad Veſpaſianum floruiſſe, alij probabilius ſub C. Iulio Cæſare, & Auguſto, ex Arei Philoſophi ipſius Auguſti familiaris amicitia, cui & ſuos libros de materia Medica Dioſcorides dicauit.

6 ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ *Nicander* Colophonius infra Dioſcoridem ſedet, clariſſimus non ſolum Medicus, verùm etiam Hiſtoricus, Poëta, & Grammaticus, qui ſub Attalo tertio eius nominis, vltimoq; Pergami Rege floruit. Præter alia, quæ Suidas recenſet, compoſuit verſibus Hexametris duo etiam nunc extantia Poëmata, de Beſtijs venenatis, & de Remediis contra venena, quorum primum Theriaca, alterum Alexipharmacum inſcribitur; eodemque alluſit pictor, ita illum repræſentando, vt ſiniſtra quidem manu teneat volumen, dextra autem extentâ irritet ſerpentem.

7 ΡΟΥΦΟΣ *Rufus* Epheſius ſub Nicandro ſedet poſtremus, qui ſub Impp. Traiano, & Hadriano floruit, & præter libros tres de Appellationibus partium corporis humani, aliaque nonnulla, etiam nunc extantia, multa quoque compoſuit, quę à Suida numerantur, ac temporis diuturnitate interciderunt.

Errata Corrigenda.

IN PHILOSOPHIS.

pag. 2	ſimulanti	ſimulantem
pag. 3	Tarentitimæ	Tarentinæ
pag. 5	*in fine adde*	CRATIPPVS ASCIONDI FILIVS MITYLENENSIS
pag. 6	Soticum	Stoicum
pag. 9	Anadyomenis	Anadyomenes
pag. 10	arbuſcula duo confecit	arbuſculas duas infecit
pag. 15	Cordubâ perlatus	Cordubæ deductus
pag 23	ad Zephyrium	Zephyrium

IN POETIS.

pag. 4	PAENE	PENE
pag. 6	quam ex verſione C. V. Leonis Allatij exhibemus	*adde* *Circum autem ſupercilia, vtraque prominentia bene conſiderata confinxit ars; nec immeritò &c.* Erat & alia ſtatua in Smyrnenſium Bibliotheca, de qua Strabo
pag. 7	Amaſtraſis	Amaſtridis
pag. 13	Mitylenes	Mitylenis

IN RHETORIBVS.

pag. 2	ΑΡΙΣΤΙΔΗΣ ΣΜΥΡΝΕΟΣ	ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΣ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ

REGESTVM.

I. In Imagines Veterum Philoſophorum. ✻ ✻✻ A B C D E

II. In Imagines Veterum Poëtarum. a b c d

III. In Imagines Veterum Rhetorum. *A B C D*

ROMAE,

Typis IOANNIS BAPTISTAE BVSSOTTI

M D C L X X X V

SVPERIORVM PERMISSV.

RARE
FOLIO
86-B
9139

GETTY CENTER LIBRARY